Antonii Le Grand

DISSERTATIO

De Ratione Cognoscendi:

ET

APPENDIX

De Mutatione Formali.

Cum Castigationibus Errorum, Calumniarum, Prævaricationum, quibus J. S. in Duobus Libris, quorum Prior *Methodus Sciendi*, Alter *Solida Philosophia* intitulatur, CARTESIUM, MALBRANCHIUM, IDEISTAS, quos Vocat, Omnes, Immo et ARISTOTELEM, si non DEUM Ipsum, multa cum Futilitate, nec minore Fastu, nuperrime Adortus est.

LONDINI.

Apud Joannem Hartley Bibliopolam, Exadversum *Hospitio Grayensi*, in vico vulgo *Holborn* dicto. M. DC. XC. VIII.

2/16/40

MB. L52
1698

NOBILISSIMO

ET

ORNATISSIMO DOMINO

D. *Edvardo Southcott*,

Equiti et Baronetto,

SCIENTIARUM ALUMNO.

Nobiliſſime Domine,

MAgnum Rebus Civilibus, et Scientiis intercedit diſcrimen, quòd exigua etiam Mutatio *Reipublicæ* officit, et quantumvis in melius id fiat, ob *Perturbationem*, quam non raro accerſit, nunquam non ſuſpecta habetur. In *Artibus* autem ac *Diſciplinis* grata ſemper accedit *Innovatio*, in quibus veluti in Metalli Fodinis, omnia Novis Operationibus, et ulterioribus Progreſſibus obſtrepere debent. Atque ſecundùm Rectam *Rationem* ita ſe res habet. Sed interim non ita Vivitur, cùm iſta, cujus memini *Politia*, Regendique Cupido, nonnunquam Scientiis adverſatur,

atque Earum Augmenta, quæ Promovere deberet, durius Premere conſuevit.

Hoc Vitium jamdudum animadvertit ſummus *Angliæ* Cancellarius, Novi Organi libro primo; "In Moribus, inquit, et Inſtitutis Scholarum, "Academiarum, Collegiorum, et ſimilium Conven-"tuum, quæ Doctorum Hominum ſedibus et Eru-"ditionis culturæ deſtinata ſunt, omnia progreſſui "Scientiarum adverſa inveniuntur. Lectiones enim "et Exercitia, ita ſunt diſpoſita, ut Aliud à con-"ſuetis, haud facilè cuiquam in mentem veniat co-"gitare, aut contemplari. Si verò Unus, aut Al-"ter fortaſſe Judicii libertate uti ſuſtinuerit, Is "ſibi ſoli hanc Operam imponere poſſit; ab Ali-"orum autem conſortio, nihil capiet Utilitatis. "Sin et hoc toleraverit, tamen in capeſſenda "Fortuna, Induſtriam hanc et Magnanimitatem "ſibi non Levi impedimento fore experietur. "Studia enim Hominum in ejuſmodi Locis, in "quorumdam Authorum Scripta, veluti in Carce-"res, concluſa ſunt, à quibus ſi quis diſſentiat, "continuò ut Homo turbidus, et rerum Nova-"rum cupidus corripitur.

Hac agendi ratione, *Ariſtotelis* Sectatores, Philoſophandi Libertatem ſibi penitùs ademerunt, et tanquam Authorum quorumdam *Mancipia*, Anticipatis Opinionibus adſtringuntur. Hi D. *Thomam* ſequuntur, Iſti ſe *Scoto* addicunt, Alii cum *Occhamo* Loquuntur, et Omnes occupatam ab ijs, quibus ſe dedere, Veritatem rati, ſecuros ſe arbitrantur, illius inquirendæ non ampliùs ſolliciti.

Eo

Epiſtola Dedicatoria.

Eo in ſtatu apud Scholaſticos res erant, Cùm veræ Libertatis Aſſertor *Renatus Carteſius*, et Philoſophiam inſtaurare, et Literarium Orbem à Servitute Liberare feleci auſpicio aggreſſus eſt: ſed eo Animi moderamine, ut non *Prætoris* Perſonam in Scriptis ſuis exhiberet, ſed *Senatoris* Potiùs conſulentis, non *Magiſtri* cum Authoritate Præcepta dantis, ſed *Inventoris*, qui Scientiarum incrementa, à Succeſſoribus ſuis cuperet et Præſtolaretur. Unde Philoſophiam ſuam *Principiorum* nomine inſignivit, palàm indicans, Plura ex ijs ſe ſperare à ſuis *Sequacibus* concludenda. Eandem ob cauſam talem ſibi in *Meditationibus* ſuis elegit Docendi Viam, quæ Modum, quo Res inventa eſt, traderet, et diſcere cupientium Animos, Demonſtrationis lenitate expleret potiùs, quàm ut à Pertinaci aſſenſum extorqueret. Hac in re Divinum *Platonem* ſecutus, qui Lib. 7. de Rep. ita diſſerit: "Docendi modus accipien-
"dus eſt, quominus coacti ad diſcendum eſſe vi-
"deantur. Cur iſtud? Quoniam non decet libe-
"rum Hominem cum ſervitute Diſciplinam ali-
"quam diſcere: quippe ingentes labores corpo-
"ris vi ſuſcepti, nihilo deterius Corpus efficiunt, nulla verò Animæ violenta Diſciplina eſt
"ſtabilis.

Quarè pro ea, *Vir Ornatiſſime*, qua polles Ingenii ſagacitate, Recentiorem Philoſophandi Viam Vetuſtiori prætuliſti, et Magiſtralem illam ac Imperioſam, quæ paſſim in Scholis viget, Docendi Methodum miſſam faciens, *Carteſium* Sectatus

tus es, Iiſque annumerari Voluiſti, quibus Hoc Curæ eſt, ut in Rebus Naturalibus, Nihil amplectantur, Nihil doceant, Nihilque tueantur, niſi clarè diſtinctéque perceptum, et quod non niſi evidens atque invicta *Ratio* verum eſſe demonſtraverit.

Neque defuere alia, quæ *Delectum* Tuum firmarent: Cernebas enim Vulgarem illam, et quæ in Scholis paſſim tractatur, *Philoſophiam*, nihil præter *Farraginem* eſſe, ex variis Hominum Opinionibus conflatam, quæ ſibi mutuò adverſantur, aut ſaltem magis inter ſe diſſident, quàm conveniant: Quamvis id Unuſquiſque non animadvertat, et longa Conſuetudine obſcuretur. Obſervabas è diverſo, *Carteſianam Philoſophiam* Unius dumtaxat Viri opiniones complecti, quemadmodum jam Adultus, et maturo pollens Ingenio, illam conceperat; Eamque *Urbi* comparabas, quæ ab uno Artifice, eodem tempore, et ſecundùm *Artis* Regulas fabricata, æqualibus Ædificiis inſtruitur, undique cum quodam lepore conſentientibus. *Scholaſticam* autem ad *Urbis* Formam accedere cenſebas, quæ à Variis Opificibus, Longa annorum ſerie condita, Domos habet inæquales, Plateas irregulares, mixtas ſublimibus Palatiis Caſas, uno verbo, in qua nihil concinnum, nihil ſimile, ſed perturbata omnia.

Occurrebat itidem, quòd Philoſophia *Vulgaris*, utpote à multis retrò ſeculis conſcripta, varios docuerit *Errores*, quos deficiente Experientia, deprehendere non potuit. Exempli cauſa, apud Veteres invaluit Opinio, *Galaxiam* eſſe Meteorum:

Cometas

Cometas non ſupra Lunam, minùs ſupra Saturnum, ſed intra Regionem Aeris mediam verſari: *Cœlos* Corpora eſſe ſolida, et in partes contrarias eodem tempore cieri: *Stellas Fixas* eſſe Partes Orbium ſuorum denſiores: *Planetas* non aliunde ſuum mutuari lumen, ſed Natura ſua Lucidos eſſe: *Tellurem* nequaquam ab una Mundi parte moveri, ſed in Univerſi Centro ſtantem eſſe, ac prorſus immobilem. Porrò à Veteribus creditum eſt, multa Orbis Terrarum *Loca* ab Incolis non occupari, cùm tamen plurimos numerent etiam Sapientes; qui ſi adhuc in vivis eſſent, ſui Erroris puderet.

Carteſius autem ea Ætate vitam egit, qua perluſtrato Navigiis *Oceano*, peragratiſque maximè diſſitis *Regionibus*, plurima detecta ſunt quæ Majores noſtros latuerunt. Quippe *Teleſcopiorum* ſubſidio manifeſta ſunt Cœleſtia Corpora, obſervata *Solis*, *Lunæ*, Aliorúmque *Siderum* Phænomena: Quæ omnia planè oſtendunt, *Veritatem*, quam tantoperè depereunt Philoſophi, non Antiquitatis, ſed noſtri Temporis eſſe *Filiam*. Neque tamen *Priſcis* aut Ingenii, aut Solertiæ laudem eripimus; Id tantùm inficias imus, *Experientiam*, quæ non niſi longo temporis decurſu comparatur, Ipſis adfuiſſe, nec illos tanquàm Luſcos, aut Oculorum expertes damnamus, qui ob Viſus imbecillitatem, ea attingere non valuerunt, quæ nunc Tuborum *Opticorum* ope comperta habemus. Nam ut præclarè *Terentius*; "Nunquam ita quiſquam "benè ſubducta ratione ad Vitam fuit, quin res, "ætas,

" ætas, uſus, ſemper aliquid apportet Novi, ali-
" quid moneat, ut illa quæ Te ſcire credas, ne-
" ſcias, quæ Tibi putaris prima, in experiundo
" repudies.

Tibi igitur, *Vir Nobiliſſime*, gratulor, quòd inter philoſophos, qui noſtro hocce ſeculo, Ingenio et Doctrina eminent, in Juvenili adhuc ætate, Impulſu proprio, maturo Judicio, *Eum* elegeris, qui *Principiorum* Evidentia, *Dogmatum* Claritate, *Concluſionum* Certitudine, cæteros alios vincit, ſuperat, tranſgreditur. Quarè, Hanc Diſſertationem, ſecundùm Ejuſdem Philoſophi Principia inſtitutam et adornatam, Variis Titulis Tibi debitam, Tuæ Memoriæ conſecro, in perpetuum Singularis tuæ *Doctrinæ*, Summæ Vitæ *Integritatis*, Tuæ erga me *Benevolentiæ*, et mei viciſſim erga Te *Grati Animi* monumentum, utpote qui ſum

Generoſiſſimæ Dominationis Tuæ

Servus Humillimus

Le Grand.

PRÆ-

Præcognoſcenda.

I.

Philoſophiæ Carteſianæ quoad Ejus Authorem, Methodum, et Materiam Deſcriptio.

CARTESII *Laus et Commendatio.* *Præf.* §. 1. 2. 3.

Quomodo Philoſophus Se à Præjudiciis, quorum Naturam et Inſtantias hîc habemus, Liberavit. *Ib.* §. 4. *ad* 8.

Logica, et quæ Veritatis indagandæ Regulæ Generales. *Ib.* §. 9. *ad* 13.

Metaphyſica, quæ à Dubitatione incipiens, quod Primum occurrit Philoſophanti Principium, Mentem Humanam, Ejus à Corpore Diſtinctionem, Cogitationémque continuam, Dei Exiſtentiam, Perfectionem ſummam, Cæteráque Ejus Attributa, cum Notionibus omnibus Claris et Simplicibus explicat. *Ib.* §. 14. *ad* 19.

Phyſica, quæ de Rebus Corporeis, Materia, Motu, Elementis, Qualitatibus, Vacuo, Luce, Sole et Fixis, Maculis, Planetis, Montium, Camporum, Marium, Fluviorum, Fontiúmque Origine, Terræ Motu, Igne, Vitro, Magnete, aliiſque plurimis agit. *Ib.* §. 20. *ad* 24.

Viri Clariſſimi Modeſtia. *Ib.* §. 25.

II.

Syllabus Errorum quorundam in Præfatione Notatorum, quibus I. S. Scriptor Modernus, in Rebus Philoſophicis, apud Deum Deliquiſſe Viſus eſt.

Providentiam Divinam, ex Aliis Omnibus, Ipſum I. S. ad Rationem Dominio ſuo reſtituendam Selegiſſe. *Præf.* §. 26.

Illum qui Deum Cogitat, non Dei Ideam, ſed Ipſum Deum reipsâ in Mente tenere, Immò Deum Ipſum fieri. *Ib.* §. 33.

Infinitè magis, poſt Primum Inſtans, Impoſſibile eſſe Angelum, Conſequenter et Animam Separatam, à Deo, quàm à Corpore, aut à Se, aut ab Alio ullo Spiritu mutari. *Ib.* §. 39.

Deum ipſum non Mutationis, aut Motus Cauſam eſſe, Nec Res iſtas per ſe Curare, ſed Id Opus tanquam Vile et Laborioſum, Ipſóque Indignum, ad Spiritus Inferiores relegare. *Ib.* §. 40.

Deum non magis poſſe Aliquid Annihilare, quàm Teſtimonium Falſum atteſtari, aut Alii ulli Imperfectioni Obnoxium eſſe. *Ib.* §. 41. 42.

III.

III.

Scriptoris Ejuſdem Errores Alii Temerarii et Periculoſi.

1.

In Præfatione.

RES Omnes Cognitas, Exceptis Ideis, in Mente Exiſtere, Immò Mentem Cognoſcendo Eaſdem revera fieri. §. 28. 36.

Animam Humanam non eſſe Rem à Corpore Diſtinctam: Quinetiam Illum, qui Diſtinctionem inter Animam Humanam et Corpus ponit, Differentiam inter Naturam et Suppoſitum Neſcire, ſed Chriſtum ſolvere, adeóque Antichriſtum eſſe. §. 32.

Impreſſiones in Senſibus factas, Varias ſemper eſſe ſecundùm Variam Objectorum Naturam ſeu Eſſentiam. §. 37.

Animas Humanas non eſſe inter ſe Æquales, ſed Eſſentialiter, pro ratione Corporum, Differre: Ut et, Homines ipſos Omnes vota Specie ſeu Eſſentia Differentes eſſe. §. 38.

2.

Et in Appendice.

Mutationem Omnem Gradatim fieri. §. XVI.

IV.

IV.

Notationes Variæ.

IDeistarum Improperium Cartesianis, Aliisque à Scriptore prædicto Impositum: sed et Ipsius Philautia, Futilitas, Falsitásque in Proprijs Laudibus, cum suo Aliorum Contemptu notantur. *Præf.* §. 27. 34. 35. *&c.*

Scriptoris istius in Superbis Librorum suorum Titulis, Vanitas. *Ib.* §. 28.

Quo Honore Scriptor Iste Academiæ Utriusque Studentes Doctissimos Dignatus est. *Ib.* §. 29.

Ut Epicureos, Scholasticos, et Recentiores Philosophos, etiam sibi Ignotos, Damnat. *Ib.* §. 30. 31.

Quæ Ejus in Cartesium, Malbranchium, et Dockium sunt Calumnia et Prævaricationes, cum suo Ipsius Enthusiasmo Manifesto. *Ib.* §. 32. 33.

Ut turpiter, dum Porphyrium et Aristotelem Calcat, Lapsus est. *Ib.* §. 43.

Ipsius Provocatio, Authoris ad Philosophia Cartesianæ, contra Prævaricationes et Calumnias suas, Defensionem. *Ib.* §. 44.

Philosophorum Amicitiæ, Veritas Præferenda est. *Ib.* §. 45.

Quid in Dissertatione Discussum est. *Ib.* §. 46.

Appendicis Ratio. *Ib.* §. 47.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

1. QUantus, qualisque fuerit *Renatus Cartesius*, non *Academia* una, non *Gens* una, non segreges *Provinciæ*, non divisa *Regna*, sed universus pene terrarum Orbis agnoscit et testatur. Quippè si Contemporaneos suos, si Recentiores *Scriptores* perlustrentur, Papæ! quæ laudes, quæ præcones, quot Honoris notæ occurrunt, quibus Virum Eruditissimum celebrant, et veluti supra Sidera evehunt. Hi *Sapientiæ Amantem* vocant, Isti sedulum *Veritatis Indagatorem*, Alii *Philosophiæ Instauratorem*, quibusque, quod sub Ejus Effigie ponitur, passim est.

Primus inaccessum, qui per tot secula verum,
Eruit è tenebris longæ caliginis umbris,
Mysta sagax.

Alii seculi nostri *Atlantem*, Alii *Archimedem* unicum, nostræque ætatis decus et ornamentum prædicant. Omnes denique tanquam in ejus gloriam effusi, variis Elogiis summi Viri, summas Naturæ dotes adjuvantur. Memorabo Versus quos adjunctos habet altera Ejus Effigies.

Talis erat vultu Naturæ Filius, unus
Qui Menti in Matris visceribus pandit iter.
Assignansque suis quævis Mysteria causis,
Miraculum reliquum solus in orbe fuit.

2. Neque ex Discipulis modò, aut ejus Gentilibus Præcones Nactus est, sed et *Adversariorum* sermone,

Laudis

Laudibus effertur. Quis Eum preſſiùs D. *Henrico Moro* Cantabrigienſi aggreſſus eſt? Quis majori cum Studio, de quorumdam *Dogmatum* veritate, cum Eo contendit? Is tamen in Epiſtola ad Ampliſſimum et Sapientiſſimum *Claudium Clerſelierum*, poſtquam intellexit, illi inſtitutum eſſe, omnia *Carteſii* Scripta, quæ penes ſe habebat, in lucem edere, ſic Illum adhortatus eſt. " Non ſolùm, inquit, Nobiliſſimi *Philoſophi* famæ ac me-" moriæ, verùm etiam communi omnium Literatorum " utilitati optimè conſules: in neminem enim aptiùs " quadrat, quàm in Divinum illum Virum Horatianum " illud,

—*Qui Nil Molitur inepte.*

Et in Epiſtola, quam ad Ipſummet *Carteſium* ſcripſerat, quid de Ipſo ſentiret, ita eloquitur: " Omnes " quotquot extiterunt, aut etiam exiſtunt Arcanorum " Naturæ *Antiſtites*, ſi ad Magnificam tuam Indolem " comparentur, Pumilos planè videri ac pygmæos; Me-" que, cùm vel nuica vice evolviſſem Lucubrationes " tuas *Philoſophicas*, ſuſpicatum eſſe, Illuſtriſſimam tuam " Diſcipulam, Sereniſſimam principem *Elizabetham*, uni-" verſis Europæis, non fœminis ſolùm, ſed Viris, etiam " Philoſophis, longè evaſiſſe Sapientiorem. Quod mox " Evidentiùs deprehendi, cùm inceperim *Scripta* tua " paulò penitiùs rimari et intelligere.

3. Quantum etiam et Virtute et Eruditione *Magnatibus* ſe commendaverit *Carteſius*, teſtatur Conſultiſſimus Dominus *Mareſius* in præfatione libelli de paſſionibus Animæ, à ſe Latina *Civitate* donati: " Quanti " eum Vivum feciſſet ſapientiſſima Regina, armata Pallas " *Gotthicæ* gentis, etiam ſuis Lachrymis, audito mortis " ejus nuntio, teſtata dicitur. Tantæ Reginæ de hoc " *Viro* judicium ſufficit eluendo quicquid olim Æmulo-" rum quorumdam Zelus ac fervor illi voluerat adſperge-" re. Eorum nemo eſt, cui tam pretiosè unquam pa-

rentabitur

"rentabitur. Nec potuit non placere ſummis Principi-
"bus, qui talibus Adverſariis diſplicuerat. Ea *ſors* eſt
"Virtutis et Eruditionis, ut illas non minùs Invidia
"comitetur quàm fumus Ignem. Quicunque ſemotis
"Affectibus ejus Opera legerit, fatebitur, illum mag-
"nam Lucem *Philoſophicis* Diſciplinis intuliſſe; etſi
"ejus placita non admiſerint, quibus poſt fruges re-
"pertas, *glande* adhuc veſci volupe eſt.

4. Poſt tot Dignitatis titulos, tot ac tanta Illuſtriùm Virorum encomia, quibus hucuſque innotuit *Carteſius*, En demùm Obtrectatores quidam prodiere, qui ſive ut *Paradoxa* ſua liberiùs proderent, ſeu ut tanti Viri depreſſione ſe attolli poſſe arbitrarentur, ejus famam petulanti calamo aggredi auſi ſunt. Ei permoti animi notam inurentes, quaſi Fanatico eſſet ſpiritu afflatus. Ea eſt, proh dolor! Hominum quorumdam indoles, ſeu Affectio, ut ſeu *Scientiæ* fama, ſeu *Virtutis* ſplendore, ab aliis ſuperari non ferant, nihil morati, modò Anteceſſorum nomen divellant, et probroſis verbis Lacerent. At hujuſmodi Hominibus idem quod *Iratis* contingit, qui cùm alteri, à quo ſe injuriam accepiſſe exiſtimant, nocere parant, Vulnúſque inferre moliuntur, ſibi non caventes, *Pectus* Nudum adverſarii impetui exponunt. Nam eorum unus, quem poſtremum eſſe exiſtimo, qui *Carteſium* ſcommatibus appetiit, dum quòd tantum operæ in ſe à præjudiciis liberando inſumpſerat, cavillaretur, quid eſſet ſe à præjudiciis liberare, ita exponit, *Hoc*, inquit, *eſt dediſcere inter res alias, ea omnia, quæ eum* (Carteſium) *Naturæ lumen docuerat.* Quibus verbis, quid *præjudicii* Nomine intelligendum ſit, palam ſe ignorare profitetur. Non enim quæ nobis Naturæ Lumine Nota ſunt, *Præjudicia* nuncupantur: Multum enim inter illa duo intereſt. Quæ Luce ſua manifeſta ſunt, pro *Principiis* paſſim Uſurpantur, quæ cùm à Deo menti noſtræ indita ſunt,

aliarum omnium perceptionum, atque in *Scientiis* Concluſionum fundamenta ſunt, quibus illæ clarè demonſtrantur. Quomodo igitur poteſt, qui Veritatem inveſtigat *Philoſophus*, illa manu mittere, quæ ad Eam comparandam adeò conducunt, et quorum ſubſidio maximè innititur? In hoc *Scriptor* hallucinatus eſt, quòd *Præjudicia* cum *Prænotionibus* confuderit, et quæ omnium judicio, certa veráque habentur, *Anticipationum* loco ſumpſerit.

5. Per *Præjudicia* igitur, non omnes quæ in Mente noſtra ſunt *Notiones* intelliguntur, ſed ſolummodò *Opiniones* illæ, quas Judicia olim Animo noſtro, et quidem negligenti præcipitantia, et non veræ *Rationi* ſuperſtructa, impreſſerunt. Hujuſmodi autem *Præjudicia* tantùm abeſt, ut in Veri Cognitione nobis opitulentur, quin obſint maximè, nóſque ab ejus diſquiſitione diſtrahunt, quatenus per *ea*, Verum jam ſciri præſupponitur, atque, in Ejus inveſtigatione, nunquam non obſtrepunt, impediúntque, ubi illa pro *Principiis* aſſumpſimus, ne rem, quo par eſt examine, diſcutiamus. Quid igitur pro *Præjudicio* habendum eſt? Non Judicium quodvis ſimpliciter antè factum, ſed factum ante ſufficiens Examen, quod nomen, non ad omnes, quæ in Anima noſtra ſuut *Notiones* extenditur, ſed ad illas duntaxat *Opiniones*, quas Judicia antè à nobis facta, Animo noſtro ingeſſerunt.

6. Opiniones enim ab ineunte ætate, ante maturum Rationis uſum admiſſæ, exempli cauſa, *Terram* eſſe planam, *Solem* eſſe Terra minorem, *Fixas* eſſe Sole minores, *Lunam* eſſe Soli propemodùm æqualem, Diſci habere figuram *&c.* propter longam eis credendi *conſuetudinem*, adeò nobis familiares ſunt, ut eas vix, ac ne vix quidem deponere valeamus. Sic *Aſtronomi*, quamvis evidentiſſimè demonſtratum habeant, *Stellas* ingentis eſſe Magnitudinis, quoties tamen Oculos in Cœlum attollunt,

attollunt, tam exiguas esse imaginantur, quàm fecerunt ab infantia. Sic plurima sunt, quæ a Natura didicisse videmur, aut quibus *Notionum* Communium nomen imponimus, atque cunctis Hominibus ingenita esse arbitramur, quæ tamen revera nihil aliud sunt, quàm immaturæ ætatis *Præjudicia*, seu Anticipationes. Ut "Cùm ad hunc Locum, (quemadmodum loquitur "*Plato* in Timæo) animo respicimus, somniamus quo- "dammodo, necessariumque putamus, ut quicquid est, "in aliquo sit *loco* positum, regionemque aliquam ha- "beat: et quod neque in Terra, neque in Cœlo sit, "minimè esse credimus. Idem habet *Tullius* primo Tuscul. "Si quid est, inquit, nusquam esse non potest; "et si nusquam esset, ne esset quidem; Cùm tamen "res *Intellectuales*, utpote Extensionis expertes, ad "Spatium et locum non referantur, quæ ipsis non ma- "gis conveniunt, quàm Corporeæ Qualitates, exem- "pli causa *Calor*, *Frigus* &c.

7. Hæc una adferri causa potest, cur Nonnulli Ecclesiæ Patres, inter quos, *Lactantius* inprimis numeratur, de Terræ planitie *Præjudicium* mordicus adeò amplexi sunt, ut dari *Antipodas*, hoc est, Homines, qui a Contraria Terræ parte adversa pedibus nostris calcent vestigia, et stultum et fabulosum esse pronuntiarint. Quàm multi etiam Errores circa *Dei* cultum et Religionem, ex anticipatis hujusmodi *Opinionibus* Ortum habuerunt? *Anthropomorphitæ* corpoream et Humanam *Deo* formam tribuerunt, quòd infantiæ *præjudiciis* decepti, nihil existere existimarint, præter id, quod corporeum, sensibile, et imaginabile est, et quale ipsi *Corpus* habebant, tale etiam cuivis alteri rei Intellectuali convenire judicarent. Quidam Antiquorum *Tertullianum* à culpa eximunt, quòd *Corporis* vocem Deo tribuendo, non nisi veram ac realem substantiam intellexerit. Verùm, nec isthoc pacto, in Philosophia saltem absolvitur, dum quod reale est et subsistens, *Corporis*

nomine nuncupavit. Quis enim non videt, hoc illud *Præjudicium* redolere, quo id ſolum ſubſiſtere, quod Corporeum eſt, à teneris annis nobis perſuaſimus? Huic craſſo cogitandi modo, plurimi ab ineunte ætate addicti, ſibi in Animum inducere non poſſunt, *Deum* piis ejus Cultoribus adeſſe, niſi Senſuum aliquo obſervetur. De talibus et præſertim Germaniæ Incolis ſcribit *Cæſar* Lib. 6. *de Bello Gallico*, qui Deorum numero eos ſolos aſſignant, quos *Oculis* deprehendunt, et quorum opibus apertè juvantur. Graviſſimi enim Errores, immò et *Idololatria* ipſa, ex eo promanarunt, quòd Hominès, non ſatis probè *Mentem* à *Corpore* diſtinguentes, *Deum* veluti Extenſum, atque Corporeum imaginentur, et mentium noſtrarum conceptu rerum ſimulachra in *Phantaſia* depicta ſemper miſceant et perturbent. Hinc factum eſt, ut tam pauci fuerint olim *Sapientes*, et cur non niſi pauci eſſe queant, quoniam nullus Infans *Præjudicia* vitare poteſt, nec Adultus ullus ea facilè deponere. Quippe ſi *Præjudicia* falſa ſint, nos à Veritate prorſus avertunt. Sin vera, à ſufficienti *Veri* cognitione abſtrahunt ac removent. Quod etſi in Theologia, et Vitæ Humanæ actionibus locum habere queat, in *Philoſophia* autem, nullatenus tolerandum eſt.

8. Quid igitur mirum, ſi *Carteſio*, Ut ſe ab omnibus præjudiciis ſuis Liberaret, *non minus laboris ſubeundum fuerit*, ut habet Vitæ ejus Scriptor Gallicus, *quam ſi de ſeipſo abdicando ageretur*. Nihil ſiquidem difficilius eſt, quàm ab Animis noſtris *Opiniones* evellere, quæ ſenſim nobiſcum adolevere, et per longas invaluere moras. Nam quemadmodum qui oculis laborant, *lumen* ægrè conſpicantur, in tenebris vero ſibi placent, et cum voluptate verſantur; ita qui *Errores* cum Lacte hauſe-

Il n'eut pas moins a ſouffrir, que S'il eut ete queſtion de ſe depoviller de ſoy meſme.

hauſerunt, iis maximè delectantur, nec niſi moleſtè eos ſe dedoceri ferunt. Et ſicuti *Infanti* arduum eſt, ubi ad Ludum literarium nuperrimè adductus eſt, quieſcere, cum antehac per plateas vagari, laſciviréque aſſuetus fuerit: ſic Humanæ *Menti* vagis Diſcurſibus, et præcipiti Judicandi Modo aſſuetæ, grave admodum eſt, ſibi a ſolito judicio temperare. Quippe præjudicata *Opinio* credulitatem noſtram occupans, tanquam longo uſu, et familiaritatis jure ſibi devinctam, obſtrepit, atque ita nonnunquam obluctatur, ut ne latum quidem Unguem, à conſuetis recedamus. Id inſinuat Clariſſimus *Angliæ Cancellarius* Libro primo Nov. Org. Aph. 38. "Idola et Notiones falſæ, quæ *Intellectum* Humanum jam occuparunt, atque in eo altè hærent, non "ſolùm mentes Hominum ita obſident, ut veritati aditus difficilis pateat, ſed etiam dato et conceſſo aditu, "illa rurſus in ipſa *Inſtauratione* Scientiarum occurrent, et moleſta erunt, niſi Homines præmoniti, adverſus ea ſe quantum fieri poteſt, Muniant. Idem ejuſdem Libri Aph. 71. "Opera eorum (Veterum "Græciæ Philoſophorum) à levioribus illis, qui vulgari captui et affectui magis reſpondent, ac placent, "tractu temporis extincta ſunt.

9. Quare *Philoſophus* noſter ut ſe à præconceptis *Opinionibus* immunem tueretur, et *Veritatem* rerum, quæ ad Philoſophiam ſpectant, ſolidè indagaret, quædam *Præcepta* adhibuit, quibus tanquam norma in rebus perſcrutandis Uteretur. Nam quantum ad *Logicam Vulgarem*, et quæ in Scholis paſſim docetur, jam dudum animadverterat, Syllogiſmorum *Formas*, aliaque ferè omnia ejus *Præcepta*, non tam ad ea quæ ignoramus, inquirenda prodeſſe, quam ad ea, quæ jam ſcimus, aliis exponenda. Itaque quatuor generales *Regulas* ſibi præſcripſit, quas continuo ob oculos habere, et ab illis nunquam declinare conſilium fuit,

10. Prima *Regula: Ut in rebus Philoſophicis*, hoc eſt, *in ijs, quæ ex Naturæ lumine cognoſci debent, nihil Unquam admittatur tanquam verum ac certum, niſi priùs rectè et ſolidè intellectum* fuerit. Tria hæc Regula exigit: *Primò*, Ut *Præcipitantiam* omnem in judicando declinemus, et quod temporis ſatis eſt, ad Rem ipſam impendamus, quantum opus eſt, conſiderandam. *Secundò*, ut nos ab Anticipationibus, ſive *Præjudiciis* ſtatim exuamus, neu per illa abſtrahi patiamur, à ſatis accurato earum Rerum examine, de quibus Judicium ferendum eſt. *Tertiò*, ut nihil de re ulla judicemus, concludamúſve, niſi quod tam evidenter ac diſtinctè *Rationi* noſtræ Manifeſtum ſit, ut nullatenus in dubium vocari queat.

11. Secunda Regula: *Ut Difficultates, quæ examinandæ occurrunt, in tot partes dividantur, quot expedit ad illas commodius reſolvendas, atque intelligendas.* Hujus Regulæ neceſſitas, vel inde apparet, quòd *Humana* Mens, non quemadmodum *Divina* uno ſimplicique Conceptu, rerum plenitudinem exhaurit, ac proinde *Una* eſt ejus Scientia, qua omnia intimè cognoſcit; ſed per multas ac diſtinctas Actiones operatur. Alia ſiquidem per *Metaphyſicam*, alia per *Matheſim*, per *Logicam* alia diſcimus; quò fit, Ut varias multipliceſque conſtituamus *Diſciplinas*, atque ea etiam quæ in Unaquaque ſpectanda ſunt partiamur, et in plures Conceptuum formas ſeparemus.

12. Tertia Regula: Ut *Cogitationes omnes quæ Veritati indagandæ impenduntur, certo ſemper ordine promoveantur; incipiendo ſcilicet primò à rebus ſimpliciſſimis, et cognitu facillimis.* Secundò, *paulatim, pedetentim, et quaſi per Gradus, ad difficiliorum magiſque compoſitorum perſcrutationem progrediendo.* Tertiò, *denique, ut ad Rerum illarum cognitionem perveniamus, quæ arduæ ſunt, ac perdifficiles, quæque multa in ſe complectuntur.*

13.

13. Quarta Regula: *Ut tum in Mediis quærendis quæ ad Veritatem inveniendam neceſſaria ſunt, cum in Difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè ſingula enumerentur, et ad omnia cõſpiciatur, Ut nihil omiſſum eſſe certi ſumus.* Itaque cùm de rebus judicium ferendum non ſit, niſi priùs perceptæ fuerint, *Carteſius* præceptum Methodi *primum* voluit; quoniam vero in Rebus percipiendis, Difficultates Intellectui obiiciuntur, eas facilioris reſolutionis cauſa, plures in partes diſtribuere docuit *ſecundum*; et quia in Rerum diviſarum multitudine, proclivis eſt ad Confuſionem lapſus, ordinem *tertium* præceptum patefecit; ſed quia haud ſatis eſt disjunctas partes rectè ordinare, niſi inſuper earum numerum adæquare, ac ne Ulla ex eis prætereat, cavere ſtudeamus, eam ob cauſam, Anthor *quartum* præceptum de perfecta omnium et ſingulorum recenſione præcedentibus adjunxit.

14. Cùm hæc pauca *Præcepta* ad Inſtitutum ſuum ſive ad mentem ſuam Cognitione imbuendam ſuffectura arbitratus eſſet, altera eum ſubiit cura de *Metaphyſica* tractandi; non de Metaphyſica illa, cui peculiare eſt, de *Ente* quatenus *Ens* eſt, aut de notionibus quæ ad *Ens* ſpectant, agere; nam cùm Illa de Rebus omnibus quæ Spiritui et Corpori communes ſunt, pertractet, *Ontologia* potiùs, vel *Ontoſophia* appellari meretur; ſed de *Metaphyſica*, quæ omnia Scientiæ naturali lumine acquirendæ initia complectitur; Ut Ipſe in præfatione Editionis Principiorum Gallicæ apertè teſtatur, ubi Ordinem explicaturus, quem quiſque in ſe inſtruendo hac *Philoſophia* tenere debeat, "Cùm jam, "inquit, acquiſivit Habitum aliquem inveniendæ veri-"tatis in his Quæſtionibus (*nempe Mathematicis*) de-"bet ſerio incipere, ſe applicare veræ Philoſophiæ, "cujus *prima* pars eſt Metaphyſica, quæ continet prin-"cipia Cognitionis, inter quæ eſt explicatio præcipu-

"orum

" orum Dei attrtbutorum, Immaterialitatis Animarum " noſtrarum, et omnium *Notionum* clararum et ſimpli- " cium, quæ ſunt in nobis. Secunda eſt *Phyſica* &c.

15. Totus igitur quærendæ *Veritati* intentus, nihil factu melius exiſtimarit, quàm ſi omnia illa, in quibus vel minimam dubitandi rationem offenderet, tanquam apertè falſa, repudiaret, ut experiretur, num fortè, illis remotis, quippiam ſupereſſet, de quo ambigere planè non poſſet. *Certum* enim illi videbatur, ea quæ hoc pacto rejici haud poterant, evidentia eſſe et aperta. Conſiderando igitur eum, qui data opera, de omnibus dubitare contendit, ambiguum habere non poſſe quin ipſemet exiſtat, dum dubitat; et quia videbat hujus pronuntiati Veritatem, *Ego Cogito, ergo Sum*, ſive exiſto, adeò certam eſſe ac evidentem, ut nulla tam enormis dubitandi cauſa à *Scepticis* fingi queat, à qua illa non eximatur, Credidit illam poſſe ut *primum* ejus, quod quærebat, Philoſophiæ *fundamentum* admitti: Cùm fieri non poſſit, ut qui cogitat ſe cogitare, non cogitet, et conſequenter Ut is qui cogitat ſe cogitare non exiſtat. Inde *Mentis* naturam, à *Corporis* Natura diſtinctam eſſe deprehendit. Quippe examinans quinam eſſet *Ipſe*, qui omnia, quæ ab ipſo diverſa erant, falſa eſſe ſupponeret, perſpicuè animadvertit, nullam *Extenſionem*, nullam *Figuram*, nullum *Motum* localem, nec quippiam aliud, quod *Corpori* ſit tribuendum, ad ipſius naturam pertinere, ſed *Cogitationem* ſolam, quæ proinde priùs et certiùs, quàm res alia *Corporea* cognoſcitur. Hanc enim tunc percipiebat, de aliis autem adhuc dubium habebat. Quare hanc propoſitionem, *Ego Cogito, ergo Sum*, omnium primam ac certiſſimam eſſe, quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrit, rectè concluſit. Adverſus præfatæ propoſitionis veritatem, nonnulla quidem a Moderno *Scriptore* in præfatione ad *Methodum Sciendi*, et alibi repoſita

poſita ſunt, quæ intacta hic, ne actum agam, prætereo: nam his ſimilibuſque *Argumentis* jam dudum feci ſatis, in *Apologia pro Carteſio*, contra R. Samuelem Parkerum, tunc Archidiaconum Cantuarienſem, et poſtea Oxonienſem Epiſcopum. Ad quam Opponentem remitto.

16. Neque *Mentis* et *Corporis* diſtinctionem cognitu difficiliorem reddidit, arcta illa inter ipſa *Conjunctio*: quia quantumvis arctè hæ duæ Res, *Deo* ita volente, Uniantur, potentia tamen quam ad eas ſeparandas antèa habebat, ſive ad Unam abſque altera conſervandam, ſeipſum exuere non poteſt. *Unitas* enim illa, non *Naturæ* eſt, ſeu eſſentiæ, ſed *Compoſitionis*. Ita, exempli cauſa, non eandem quidem habemus *Figuræ* et *Motus* Ideam; Uti neque eandem habemus *Intellectionis* et *Volitionis*; neque etiam *Oſſium* et *Carnis*, neque *Cogitationis*, et *Rei extenſæ*: atqui nihilominus clarè percipimus illi eidem Subſtantiæ, cui competit ut ſit *figurata*, competere etiam ut *moveri* poſſit; adeò ut figuratum et mobile ſit unum et idem Unitate *Naturæ*; itemque rem Intelligentem et Volentem eſſe etiam unam et eandem Unitate *Naturæ*: non autem idem percipimus de re, quam conſideramus ſub forma *Carnis*, et de re, quam conſideramus ſub forma *Oſſis*, nec idcirco poſſumus illas pro Una et eadem Re ſumere Unitate *Naturæ*, ſed tantùm Unitate *Compoſitionis*, quatenus ſcilicet, unum et idem *Animal* eſt, quod habet *Carnem* et *Oſſa*. Jam verò Quæſtio eſt, an Rem Cogitantem, et Rem Extenſam perſpiciamus eſſe unam et eandem Unitate *Naturæ*, ita nimirum ut inter Cogitationem et Extenſionem, aliquam talem affinitatem, ſive connexionem inveniamus, qualem inter *Figuram* et *Motum*, vel *Intellectionem* et *Volitionem* animadvertimus; an potiùs dicantur tantùm eſſe unum et idem Unitate *Compoſitionis*, quatenus in eodem Homine reperiuntur, Ut *Oſſa* et *Carnes* in eodem Animali, quod

Ultimum

Ultimum affirmat *Carteſius*, quia diſtinctionem, ſive diverſitatem omnimodam inter naturam *Rei Extenſæ* et *Rei Cogitantis*, non minùs quam inter *Oſſa* et *Carnes* deprehendit.

17. Similiter, licet in *Chriſto* Unica ſit *Perſona* Divina, duæ tamen in Eo maximè differentes conſiderantur *Naturæ*, Humana ſcilicet et Divina, ac proinde Unus et idem eſt *Deus* et *Homo*. Non tamen duæ illæ Naturæ per conjunctionem ita confunduntur, Ut *Divina* in *Humanam*, et hæc in illam, vel Utraque in aliam ab utraque diverſam verſa putetur, ut olim *Eutycheti* et *Dioſcoro* viſum eſt; ſed inter ſe diſtinguuntur: Et cum dicitur, *Deus erat Verbum*, *Verbum Caro factum eſt*, hoc eſt, Unus idemque Deus et Homo, non id intelligendum eſt de Unitate *Naturæ*, ſed ſolùm de Unitate Compoſitionis. Unio enim non eſt *Confuſio*, immò probè attendenti manifeſtum eſt, omnem *Unionem* ſupponere et arguere Diſtinctionem. Contradictionem enim implicat, Unionem eſſe, Ubi non eſt diſtinctio. Is igitur immeritò *Chriſtum ſolvere* dicendus eſt, qui inter Humanitatem in Chriſto, et ejus Divinitatem diſcrimen conſtituit. Nam etiamſi paſſim Actiones *Suppoſitorum* eſſe dicantur, et *Suppoſiti nomine* generatim quævis Subſtantia ſingularis intelligatur; *ſpeciatim* tamen vox illa ejuſmodi Subſtantiam denotat, quæ alteri juncta eſt, aut certè jungenda. Hinc *Anima* ſeparata aliis *Suppoſitum* affirmatur, et *Mens* Corpori juncta, ſola eſt Subjectum inhæſionis eorum Attributorum quæ ad ipſam ſolam, et Corpus ſimiliter quæ ad ipſum ſolum ſpectant, licet totus *Homo ſubjectum* ſit Denominationis. Immò et Corpus ipſum denominationis ſubjectum eſt, reſpectu Senſuum, ob communicationem *Idiomatum*, ſive modorum prædicandi, quo partis Unius proprietas, ob intimam cujuſque *Unionem*, alteri tribuitur.

18. Poſtquam

18. Poſtquam *Philoſophus* Mentem à Corpore, claris Utriuſque Conceptibus, ut Subſtantiam à Subſtantia diſtinctam eſſe oſtendit, evidenter deducit illam continuò *Cogitare*. Et quidni continuò cogitaret, cum ſit *Res Cogitans*, hoc eſt, volens, nolens, intelligens, affirmans, negans, imaginans quoque et ſentiens? Ratio autem cur Animam ſemper Cogitare exiſtimet, eadem eſt, quæ nobis perſuadet *Lucem* ſemper lucere; *Calorem* eſſe ſemper calidum; *Corpus* ſive Subſtantiam Extenſam habere ſemper Extenſionem; et generatim id quod Rei cujuſpiam naturam conſtituit, illi ſemper meſſe, quando illa exiſtit: ita ut facilius exiſtimarit *Animam* deſinere eſſe, cùm à *Cogitando* ceſſat, quàm concipiat illam abſque Cogitatione exiſtere. Hoc ſuppoſito, quidni avulſa à Corpore *Anima*, ſeu ab ipſius commercio immunis, novas Cogitationes eliciat, aut tranſactas denuò volvat et agitet; cùm uſu cottidiano experiamur *Mentem* noſtram, ſe ſola Utentem, plurium objectorum naturas diſtinctè contemplari, multaſque habere *Perceptiones*, quæ Intellectui ſoli tribuuntur. Mihi certè, hanc in rem attentiùs attendenti, captu facilius videtur quo pacto *Animus* à Corpore ſejunctus Cogitare, noviſque imbui Notionibus poſſit, quàm quùm Corpore continetur, et eo veluti *Carcere* conſtringitur. Si qui Judicio meo ſubſcribere detrectent, ſciant *Opinionem*, quam tuentur, quòd Cerebri partes ſcilicet, ad Cogitationes formandas concurrunt, non ab ulla ratione poſitiva prognatam eſſe, ſed tantùm ex eo, quòd nunquam experti fuerint, ſe *Corpore* caruiſſe: Pari modo ac ſi quiſpiam ex eo quòd, ab Infantia *compedibus vinctus* ſemper fuiſſet, Compedes illas ſui Corporis partem eſſe exiſtimaret, ipſiſque illi opus eſſe, ad ambulandum.

19. E *ſui* Notitia, ſive ſuæ Exiſtentiæ agnitione, in quantum eſt *Res Cogitans*, Philoſophus in Dei Creato-

ris

ris et Conſervatoris cognitionem provehitur, quem neceſſariò *exiſtere*, ex Notione Humanis Mentibus inſita, ita oſtendit. Habemus, inquit, Menti noſtræ inſculptam et congenitam Entis ſummè perfecti, Infiniti, Immenſi, Æterni, Omnipotentis *Ideam*: atqui *Idea* illa aliunde proficiſci non poteſt, quam ab Ente ſummè perfecto, et Æterno; ergo illud ipſum infinitè perfectum, quod *Deum* omnes nuncupant, exiſtere fatendum eſt. Me autem Rem illam præſtantiſſimam clarè ac diſtincte percipere clariſſimum eſt. Nam quomodo mihi aliquid *deeſſe*, aut me non eſſe Undequaque *perfectum* intelligerem, niſi Rei alicujus perfectioris *Ideam* Mente complecterer, ad quam, quæ mihi deſunt, conferam. Ac proinde Lumine naturali notum eſt, *Ens* ſummè *perfectum* exiſtere, atque ejus Potentiam, ita Infinitam eſſe, ut aliquid dari repugnet, quod ejus potentia non contineatur. Cùm igitur Manifeſtum ſit, omnia ab *Illo* producta eſſe, atque ab *Eodem* conſervari, facilè etiam intelligimus, id quod jam eſt, omninò deſtrui, ſeu in Nihilum reduci poſſe; modò non de Subſtantia *Illa*, quæ nulla revera prorſus re alia ad exiſtendum indiget, hoc accipiatur; de qua nec dici, nec concipi poteſt, ſed de ea ſolùm, quam non niſi virtutis et operationis *Divinæ* ope, exiſtere cognoſcimus, cujuſmodi ſunt Res omnes extra Deum exiſtentes. Etenim ſi Res illas tanquam Divinæ mentis *operationes* perpendamus, non majorem habebimus difficultatem, ad intelligendum, quomodo *Subſtantiæ* quæ actu ſubſiſtunt, in *Nihilum* relabi poſſint quam habemus ad concipiendum, quomodo *Ideæ* ſive Conceptus in mente noſtra exiſtentes deſinere eſſe poſſint: Ad hoc enim nulla *Actio*, ſed tantùm Actionis *Ceſſatio* requiritur. Deus enim Creaturarum ſuarum *Dominus* eſt, ut Voluntati ſuæ minimè reſiſtere valeant, ſicque ab eo dependent, ut ſi ſemel ab eis Cogitationem

nem ſuam averteret, ſtatim in nihilum recideret, ac penitus deſtruerentur.

20. Tandem ad *Phyſicam*, ſive rerum Naturalium cognitionem delabitur *Carteſius:* Ubi poſtquam *Materiæ* ſeu Corporis Naturam in trina Dimenſione, ſive in *Extenſione* in longum, latum, et profundum conſtituit; ad illa attendit, quæ rebus Naturalibus ineſſe Ratione, aut Senſibus deprehendimus; qualia ſunt, *Magnitudo*, *Figura*, *Situs*, *Quies*, et præſertim *Motus*, cujus *Authorem*, ſive Cauſam primariam ac efficientem Deum eſſe contendit, qui materiam ſimul cum *Motu et Quiete* in principio creavit, quique jam per ſolum ſuum Concurſum ordinarium, tantumdem *Motus* et *Quietis* in ea tota, quantum tunc poſuit, conſervat ac tuetur. Nam ſi Dei *Immenſitatem* attentè conſideremus, nobis manifeſtum evadet, nihil omnino eſſe poſſe, quod ab *ipſo* non pendeat, non modò nihil ſubſiſtens, ſed etiam nullum *Ordinem*, nullam *Legem*, *Rationémque* nullam Veri et Boni. Alioquin non plane indifferens fuiſſet ad ea quæ creavit, producenda. Quippe ſi quæ *Boni* ratio, ejus præordinationem anteceſſiſſet, illa ad Ea Ipſum determinaſſet, quæ jam facienda ſunt. Nulla igitur in Corporibus movendi *vis* concipi debet, quam *Deus* ipſis non tribuat, et poſtea conſervet, atque applicet: ſed tota eorum vis hoc in uno poſita eſt, quod in mutuo occurſu, hæc Actio *Divina*, ſive vis motum conſervans, nunc in his, nunc in illis Corporibus ſe exerat. Ratio autem probans, *Motum*, qui in mundo eſt, a *Deo* ſolo produci, hæc eſt, quòd Corpora quæ moventur, ſi ad requiem redigantur, nunquam ſibi ipſis *Motum* virtute propria largiri queant. Diſtinctè enim concipimus, Corpora Natura ſua non ad unum potiùs quàm alterum *ſtatum* tendere, quia cùm omnis Cognitionis expertia ſint, inepta ſunt, ad judicandum unum præ altero *ſtatum* ſibi eſſe congruum, ac proin-

de

de ad unum præ altero eligendum: *Motus* igitur qui primo in Mundo productus eſt, a Deo immediatè originem habuit.

21. Id ſibi facilè perſuadebit, qui conſiderat nihil prorſus in Mundo univerſo reperiri, quod à *Deo* non pendeat, eique ſubditum ſit. Nam ſi quid daretur ab ejus *dominio* liberum, vel quid tantillum *Boni Verive* contineret, quod à Deo non proficiſceretur, nec incrementum ſuum et duramentum eidem acceptum ferret, ipſe *Deus* non eſſet, hoc eſt, non eſſet Res ſummè perfecta. Nam qui Ens ſummè perfectum intelligit, intelligit *Ens independens*, in Cujus poteſtate cætera poſita ſunt, ſive cui cuncta parent ac ſubjiciuntur. Non igitur Humanæ, vel etiam Angelicæ *Mentes* Corpora movendi vim habent, ſive poteſtatem in *Motum* ullam obtinent, ſed in Motus *determinationem* dumtaxat. *Humanæ* quidem in determinationem Spirituum Corporis noſtri: *Angelicæ* autem in alia quævis Corpora, quæ agunt et operantur.

22. Quemadmodum *Peripatetici Materiam* primam conſiderant, omni Forma exutam, cui deinde *Formas*, modo hanc, modò illam accedere perhibent, cùm tamen *Materia* omnibus Formis ſit deſtituta; Pari modo *Carteſius* ſibi conceſſum eſſe exiſtimavit, *Corpus Extenſum* conſiderare, prout nondum eſt ad hoc illúdve Corpus reſtrictum: ſed ſolùm prout res eſt undequaque extenſa, ac proinde *Diviſibilis*, ſeu in partes dividua, ac jam revera in multas à Deo eſſe diviſam clarè oſtendit, ſupponendo omnem illam *Molem*, ex qua hic Mundus adſpectabilis compoſitus eſt, fuiſſe diſtributam in partes *Figura* differentes, eaſque omnes tantumdem *Motus* in ſe habuiſſe, quantum jam in mundo reperitur, et æqualiter motas fuiſſe, tum ſingulas circa *Centra* ſua propria, et ſeparatim à ſe invicem. Hoc vario ac multiplici *Materiæ* particularum motu conſtituto,

conſtituto, non potuerunt non particulæ triplex *Elementum* conſtituentes Generari. Nam cùm Motus particularum in quas *Materia* à primo *Motore* diviſa fuiſſe concipitur, alius eſſe non potuerit, quàm *Circularis* quodammodo, et quidem varius, quarumdam particularum *Anguli*, ex Colliſione mutua fuere neceſſariò detriti, et ſic ſublatis paulatim *Angulis* particulæ politæ: Unde *Globul.* Cœleſtes majores et minores. Simul illæ detritorum Angulorum *Minutiæ*, quæ inter Globulos ſunt, Intervalla occuparunt, ubi ob inſignem tenuitatem ab agitatis *Globulis* impulſæ, celerrimè quaquaverſum diffuſæ fuerunt, cuivis ſpatiolo etiam minimo *Figuram* accommodantes; et hinc materia *Subtiliſſima*. Denique ex craſſioribus et cohærentibus ramentis, Figuras irregulares habentibus, craſſior materia prodiit, et ſic *tertium*, quod vocat, *Elementum* exiit, ſive formatum eſt.

23. Si quis fortè cùm *Scriptore* jam aliquoties memorato ſollicitus eſt, quomodo *Materia* illa ex qua mundus conflatus ſupponitur, partitionem ſubire potuit, cùm ejus partes immediatè ſe contingerent, eſſetque moles illa *Qualitatum* omnium expers, *Raritatis* præſertim et *Denſitatis*, ſine quarum interventu, nullam fieri poſſe Diviſionem ponat. Ei pro Reſponſo ſit, non *Dei* reſpectu, qui primarius motus Author eſt, neque verò *Angeli*, ſi placet, Motoris eſſe plus aut minus, facilior difficiliorve *Diviſibilitas*, neque *Rarum* aut *Denſum*, ſed tantùm reſpectu Senſuum. Ante facta autem *Animantia*, nulli erant *Senſus*. Neque etiam *Senſationes* omnes ſunt æquales, cùm id quod Uni *Durum* videtur, alteri *Molle* appareat, quod unus *Calidum*, alius *Frigidum* experiatur. Certè qui ad primam *Materiæ* Diviſionem, eam priùs raram, aut denſam eſſe debuiſſe comminiſcuntur, materiam fuiſſe *diviſam*, priuſquam divideretur, ſupponunt. *Rarefactio* ſiquidem non fit,

niſi quando *Corpuſcula* quædam, Corporis alterius poros ingrediuntur, eáque diducunt. *Condenſatio* è contra, quando *Corpuſcula* ex Corporis alicujus meatibus recedunt, ut intervalla iſta minuantur, vel planè tollantur. At quomodò in *Materiam* dividendam accedere potuerunt particulæ Corporum, quæ illam *Raram* redderent; aut ab ea expelli, ut in *Condenſatione* contingit, priuſquam materiæ fieret Diviſio, ex qua ſola exoriri particulæ poterant.

24. Poſtquàm *Philoſophus* docuit, quæ ſit intima rerum *Corporearum* eſſentia, omnia plena eſſe, ac ne minimum quidem *Vacuum*, ſeu *Inane*, ut vocant *Epicurei*, in Natura dari poſſe demonſtravit, quo tamen non obſtante, Corpora rarefieri, condenſari, modiſque aliis variis, ſecundùm immotas Naturæ Leges, affici moveríve oſtendit; Quæ ſit *Lucis* indoles, quomodo à *Sole* et *Fixis*, omnes in partes pari nixu ſe diffundat; quo pacto in minimo temporis momento, ad quamlibet *diſtantiam* porrigatur &c. explicandum aggreditur; quomodo *Sol* Figuram ſphæricam adeptus ſit, unde enaſcuntur ejus *Maculæ*; ut quandoque *Sidus* non anteà ſpectatum ex improviſo appareat, aut cur aliquando *viſum*, iterum occultetur, et oculos noſtros fugiat. Quare *Planetæ* Soli viciniores, aliis magis remotis celerius moveantur; cur eadem Motus *quantitas* in univerſo ſemper conſervetur; unde *Montes* in Terræ ſuperficie exorti, unde *Campi*, unde *Maria*, unde *Fontes* et *Fluvii* profluxerunt, cùm ſæpe in Montium jugis ſcaturiant, et *Aqua* præter naturam ſurſum evehatur. Quare *fontanæ* fluviatileſque *Aquæ* dulces ſint, *Marinæ* autem amarorem ſalſedinémque induant. Quæ *Terræ Motus* cauſa; unde fit ut quædam Corpora *Igni* admota liqueſcant et bulliant, alia autem ſiccentur Et dureſcant; Quomodo *Ignis* ipſe generetur, perſeveret, intereat. Qua arte *Vitrum* compingatur, et unde talibus donetur

tur proprietatibus, quòd durum, quòd fragile, quòd rigidum &c. evadat. Cui assignandæ admirandæ illæ *Magnetis* proprietates, aliaque plurima, quæ apodicticè *Philosophus* noster probavit, quæque omnia tam egregiè inter se consentiunt, siquidem fieri nullo modo potest, ut tam multa simul cohærentia falsa deprehendi queant. Immo ea est *Scriptorum* ejus dignitas, ut vel operosissimæ Hominum studiis deditorum *Lucubrationes*, nullum adhuc opus produxerint; quod ejus operibus conferri, nedum æquiparari possit. Unde *Renatus Cartesius* ille est, Cui transpositis nominis Elementis, acclamare licet,

TU SCIS RES NATURÆ.

25. Ea tamen fuit *Viri* Clarissimi *Modestia*, ut cùm in *Methodo de rectè utendi Ratione*, bonæ mentis æqualitatem omnibus Hominibus tribuisset, sibi minus Ingenii ac memoriæ, quàm quibusdam adscribendo, eadem pergit, et quod de solida Occupationis suæ bonitate, Invidis dictum videri arrogantius potuisset, maxima Animi submissione Correcturus,. " Me verò, " inquit, fortasse fallit *Opinio*, nec aliud est, quàm " *Aurichalcum* et *Vitrum*, quod pro *Auro* et *Gemmis* " hic vendito. Novi quàm proclives simus in erro- " rem, cùm de nobis ipsis judicamus, et quàm suspec- " ta etiam esse debeant Amicorum testimonia, cùm nobis " favent.

26. Quantum ab hac Christiana Humilitate Modernus quidam *Scriptor* alienus est, qui ut *Philosophi* nomen sibi vindicaret, in *Præfatione* ad Sciendi Methodum, palam professus est, *Aliam ullam viam, evidentem et solidam, quàm quæ ab ipso proposita est, ab Humano Ingenio inveniri, esse impossibile.* Immo eò insolentiæ processit, ut asserere non erubuit, se Unicum esse Sapientiæ Alumnum, à quo tam diu expectata

fruſtrà à cæteris mortalibus *Veritas* prodiit, et in cujus ſinum demum delapſa eſt. Sic enim in *Præfatione Libri* ſub nomine *Solidæ Philoſophiæ*, nuperrimè in Lucem editi, loquitur: *Agnoſcere ſanè debeo, me de Principiis meis, Methodóque mea optimè ſentire, quæ Natura benignáque Dei providentia poſuere ac ſtabilivere.* Et in *Epiſtola Dedicatoria*, poſtquam miſerum Philoſophiæ ſtatum deploraſſet, quæ tantùm non ad ultimum diſcrimen, conceptibus Imaginariis, redacta ipſi videbatur: *Perſpiciens*, inquit, *quòd Divina providentia Idoneum me, ac ſufficientem reddiderit ad ejuſmodi mala vindicanda, id muneris mei eſſe cogitavi, Rationem ſuo priori Dominio reſtituere* &c. Quis illum ab inſtigantis Numinis *commotione*, quam tam iniquè in *Carteſium* impingit, indemnem reddet? Annon commoti Animi eſt, ne quid pejus dicam, palam profiteri, inter tot ac tantos ingenio et eruditione præſtantes *Viros*, ſe *Divina Providentia* ſepoſitum eſſe, qui Philoſophiam inſtauret, et ab Erroribus, quibus in Scholis ſcatet, immunem redderet? Natura mortalium hoc quoque nomine prava et ſiniſtra dici poteſt, quòd in uno quiſque negotio hebetior eſt, quàm in alieno. Turbida ſunt Conſilia eorum, qui ſibi ſuadent. Obſtat aliis *Metus*, aliis *Cupiditas*, nonnunquam naturalis eorum *Amor*. Nemo certè ſibi Judex eſſe debet, quemadmodum habetur Lib. 1. Cod. Theodoſ. *Ne in ſua cauſa quis judicet.* Cum enim omnibus in ſe proprium dicendi teſtimonium facultatem Jura ſubmoverunt, iniquum admodum eſt, licentiam tribuere ſententiæ Propriæ.

27. De *Scriptore* ipſo non quæritur, cum Literis ſolis duabus illis, I. S. Se in Frontiſpicio deſignat, Lectoribus ex Opere ſuo, quo et mirè *Seipſum* Laudat, et *Ideiſtas*, quos vocat, Spernit, conjiciendum relinquens, an *Joannes Suſſenus*, an *Ideiſtarum Spretor*, dicendus ſit; Nam et id Legentium Animis occurrendum fortè

Vanos

Vates egregius ſomniavit: quanquàm interim ſive hoc, ſive illo, ſive alio quocumque *Nomine* gaudet, per me quidem latere omnino potuit, niſi et Ipſe tam vivis ſe depinxiſſet *Coloribus*, ut ægrè laturum ſuſpicemur, ſi non *Virum* ipſum ſub Nebula tenui agnoſcamus. Quo fit, ut quod de *Ariſtotelis* Tractatu *Acroamatico*, idem de Illo, quod ſit Ἐκδεδομένον καὶ οὐκ Ἐκδεδομένον, *Editus et non Editus*, non incongruè dici poſſit. Nec quidem non obſervare poſſum, quam Nonneminem imitatus,

Et fugit ad ſalices, et videri cupit.

28. Multa ſunt in his, quibus multùm delectatur, *Libris*, quæ laudari certè non debent. Atque illud imprimis, quòd Priori titulus, eſt *Sciendi Methodus*, unde et *Logicam Demonſtrativam* nuncupat, cùm in eo, quod ex Contentis præmiſſis conſtat, de *Methodo* ſive Synthetica ſive Analytica, quæ eſt pars logicæ præcipua, ne una quidem *Lectio*, non *Capitulum* unum, aut *Sectio* una reperiatur. Quin Alteri præclarus itidem eſt *Solidæ Philoſophiæ* titulus, cùm huic uni principio ſuo, *Res Cognitas*, non earum *Ideas*, in *Mente* exiſtere, immò *Mentem* cognoſcendo, *eaſdem* fieri, innititur, pag. 25. et 27. ad 39. Alibique. Quod vel prima quidem facie adeo ridiculum, ut Authorem, non ſerio, prout Philoſophum Solidum decuit, ſed joco potiùs id propoſuiſſe putemus, Declamatorum ſimilem, qui Res ludicras, quandoque etiam Stultitiam ipſam præconiis efferunt.

29. Quin illud proximè notandum, quòd in utriſque his libris, utriuſque *Academiæ* Studentes doctiſſimos, multa quidem cum Ingenii oſtentatione præfatur, ſed non ea, quæ expectari potuit *prudentia*, dum in *Uno*, Viris Clariſſimis Lectiones ſuas Logicas arrogantiùs dictat; et in *Alio* etiam ut imperiosè, ita et in-

urbanè adeò ſe gerit, ut Eos vel in ipſo Limine hac una ſalutatione adortus ſit, Ipſos illis ipſis Studiis, quibus inclaruerunt hactenus, *nequicquam* profeciſſe, aut non *majus* aliquid potuiſſe quàm (quod ex Fabula citat) *Vitreum vas lambere, pultem non attingere.*

30. Fuſior quidem eſt, ut in *Sui* laudes, ita in Aliorum Vituperationem atque Infamiam. Quippe *Epicureos* ſi nominamus, Eos non *Ulla Notatione* dignos eſſe judicat. Si verò *Scholaſticos* laudamus, Eos *nihil* omninò *ſcire* pronunciat. Sin etiam recentioris *Philoſophiæ* Cultores volumus, Eos *Ratione* omni *ſolida* deſtitui, nec verè dici poſſe *Philoſophos* affirmat.

31. Quin et nominatim *Epicurum*, *Artis Cogitandi Tractatum*, *Luſhington*, *Burgerſdicium*, *Clark*, immo verò *Carteſium*, *Gaſſendum*, *Boylium*, *Charletonum*, *Regium*, *Rohaultum*, *Spinozam*, *Malbranche*, *Regis*, *Lock*, et ne plures memorem, *Meipſum* etiam ſæpiùs, et in *Præfatione* Methodi Sciendi, pag. 18. cum Notula * quinque Radiis conſtante, tanquam totidem ſpiculis transfigendum, ex petulanti ſuo Ingenio, et Judicio pravo damnat. Id quod et Ipſe, ſi ſibi æquus eſſe velit, neceſſum eſt, ut in ſe culpet, cùm ex ijs à ſe damnatis, Quoſdam ne unquam ſanè viderit. Et hac quidem occaſione ejus *Conſcientiam* appellem, ſi vel unum ex Libris à me ſive *Latinè*, ſive *Gallicè* Scriptis (nam Corpus Philoſophiæ ſub meo nomine nuper *Anglicè* vulgatum, cùm id ab Aliis tranſlatum, et in eo multa ab Editore, nec mihi, nec ſibi quidem ſatis conſulente, pro libitu ſuo addita, omiſſa, et mutata ſint, pro meo neſcio an agnoſcam) legerit. Immò dicat obſecro, Fideïnque ejus urgeo, an *Carteſii*, quem toties Calamis venenatis appetit, ſi Meditationes exceperit, Tractatum aliquem, aut etiam *Principiorum* Ejus partem unam, vel ſemel percurrerit. Quod eò quidem ardentiùs inſto, vt intimè ſentiat, quàm malè de re incognita ſententiam

tentiam malam tulerit, tandémque aliquando hujus Erroris ſui pœnitere diſcat.

32. Quod multò autem iniquius, ne non fortiter ſatis calumnietur aliorum Vituperator iſte, *Carteſium* ipſum, Philoſophum Eximium, veréque Chriſtianum, dum *Mentem* Humanam abſolutè et in ſe ſolùm conſideratam, *Rem* eſſe à *Corpore* diſtinctam veriſſimè aſſeruit, non modò ex defectu Logicæ, differentiam inter *Naturam* et *Suppoſitum*, quod Naturam in ſe habet, cùm tamen non de *Suppoſito*, ſed Suppoſiti partibus ſeparatim ſpectatis agit, neſciiſſe docet, ſed et *Chriſtum ſolvere*, non obſcurè affirmat, in hanc cauſam ſuam malam citato 1. *Jo.* 4. 3. loco, quo quid etiam ultra in Animo ſuppreſſum habuit, ne quis ſcilicet illum non itidem *Antichriſtum* exiſtimet, ſatis apertè indicat. *ibid. pag.* 37. Cui autem Os obſtruendo, non aliud nunc reponendum cenſeo, quàm hortari, ut ſeriò apud ſe perpendat, quàm hac in re, non *Carteſio* modò, ſed et B. *Joanni* iniquior ſit, ſi non in Spiritum Sanctum, dum ſic Sacra Scriptura abutitur, blaſphemans.

33. Sed et permirè ſibi placet Calumniator iſte, dum non *Carteſium* ſolum, quod priùs notatum, ſed et *Malbranchium*, Virum etiam Egregium, et Divinis Muneribus addictum, *Fanaticum*, *Eutheatúmque*, ut et *Tremulorum* quidem numero addendum iniquiſſimè affirmat. *ibid. pag.* 47. 50. Neque verò ſibi temperet, quin *Lockium* etiam, quem aliquando adoraverat, ſpecie quadam *Dementiæ*, hac in parte accuſet. *Præf. Sol. Phil.* §. 16. Quaſi verò non facile ei eſſet, cui frons non ſatis honeſta eſt, Aliorum Dicta et Facta pervertere. Quanquàm Id ullo modo ſi verum, ut eſt falſiſſimum, et in Viros Clariſſimos injurioſum, ab ipſo tamen minimè expectandum, in quem majori certè Jure retorqueri poteſt; cùm *Ideas* omnes rejiciens, *Res ipſas cognitas* in Mente reverà exiſtere, immò *Mentem*

ipſam, *Res* ipſas, quas cogitat, eſſe ſomniat: Unde et, non modò Sanctum aliquem, Angelumve, quem Cogitat, ſed et *Deum* ipſum, ſi quidem agnoſcat, ſe fieri oportet ut mentiatur. Id quod clarè quidem apparet libro quem *de Devotione* edidit, ubi præmiſſo ſe non *Metaphorico*, ſed *literali* ſenſu accipiendum, pag. 115. Notionem illam ſuam de Rebus in Mente exiſtentibus pluribus commendat. pag. 116. ad 118. Móxque in Propoſiti ſive Confirmationem, ſive Illuſtrationem, *Beatos in Cœlo Dei eſſentiam inſpicientes*, Divinam *in Eorum facultate cognoſcente* naturam *habere*, adeóque Deum *participatione et intellectualiter eſſe*: Ut et, *Eos qui* Deum *vident, et de illo prout* Fide *repræſentatur, cogitant, ſecundùm inferiorem modum Cognitionis, quam de Deo in hoc ſtatu habemus, ad certum quendam gradum* Deificari *etiam* docet, pag. 119. Quin et (interjecto paradoxo, quod vult, alio, quo Eos *qui Notionem Dei, ipſi non propriè reſpondentem habent, modò tamen* Notio *illa* pro Deo ſtat, *et non naturæ ullæ creatæ competit, verè Deum in Cogitatione, licet imperfectè habere*, adeóque Ipſum *intellectualiter eſſe*, aſſerit,) non minus expreſſis quidem verbis in hunc Modum progreditur: *Cùm igitur preces ſint proprium exercitium* cogitandi *Deum, ſeu illum* in nobis *intellectualiter prout nobis à Fide exhibetur*, habendi, *hoc eſt* Ejus *modo quodam* (quod vult Ille) eſſendi; ſequitur, Nos *aliquo modo* Illum *verè* eſſe, *dum per Exercitium precum ad ejus Cogitationem attendimus*. pag. 120. Qua certè *Notione*, cùm non *Metaphoricè*, ſed literaliter ſumenda ſit, neſcio an aliquid magis *Enthuſiaſmum* ſapiat: ut vel inde etiam ſentiat Convitiis deditus, quam in ſe ſpuit, qui in Cœlum ſpuit, nec Eorum abſimilis ſit, qui *Solem* ſagittis figere nitebantur, quæ in propria capita recidentes, Emittentibus exitio fuerunt.

34. Pote-

34. Poterat hoc quidem *Virum Modeſtum* movere, efficeréque, ut non propriæ ſolùm, ſed et proximi famæ conſuleret. At quid iſtud, inquit ille, ad Illum, qui ſe totum Veritati, *Notioni* nimirum *propriæ* devovit? *Præf. Sol. Phil.* § 4. Quid illud ad Illum, cui fixum immotúmque Animo ſedet, non Divis parcere? Sic enim et Ille, *Præf. Meth. pag.* 30. arroganter quidem, et ſatis pro Imperio,

——*Non Divum parcimus Ulli.*

35. Videndum autem nunc, quàm Falſus etiam ſit, Miſeréque Errans in *Propriis Laudibus*, dum ſe Magnum aliquod ſupra cæteros Mortales præſtitiſſe jactitans, futilibus Argumentis uſus eſt, ad Paradoxa, quæ vocat, ſua evulganda.

36. Hoc unum omnis *Scientiæ* fundamentum ponit, decantatum nimirum illud, de quo jam verba feci, quódque ſæpius repetitum placere exiſtimat, Principium, *Res ipſas Cognitas*, non Earum *Ideas* ullas in *Mente* exiſtere, Immò *Mentem* ipſam *Illas* eſſe, ex una illa, quam laudat ſententia, *Anima intelligendo fit omnia*, ortum. Cujus autem? Sæpiùs quidem eam ex *Ariſtotele* citat ut *Præf. Meth. pag.* 22. et *Sol. Phil. pag.* 39. ſed non græcè, nec ulla unquam Libri, aut Capitis, aut Paginæ Mentione. Unde et ab ipſo nunquam apud Authorem ſuum viſam fuiſſe ſuſpicemur. Cùm tamen Ipſe Philoſophum iſtum *Obſcuritatem* affectâſſe notat; Alióſque, quod *Scholaſticis* quoad Ejus Doctrinam facilè nimis crediderint, nec Labore et Patientia uſi ſint ad Illum rectè intelligendum, per ſe, vel per primos Ejus Interpretes Loquentem, culpat. *Præf. Meth.* pag. 28. Quo ſanè magis Mirandum, ſi nos Ipſe adeò credulos velit, ut ipſius Interpretationi ac Judicio ſtaremus. Quis enim ex hac ſive ſua, ſive *Ariſtotelis* Authoritate, *Notionem* admittat, quæ non modò in Enthuſiaſmum, quod dixi, ducat, ſed et à Ratione omni, quicquid

quinde-

quindecim, aut pluribus Argumentis, laborioſa certè temporis Jactura, delirat Nonnemo, ita aliena eſt, ut nemini non inſano unquam perſuaderi poſſit, ſe *Montem* puta aureum ipſiſſimum, quem fortè apud *Indos* vidit, quod tamen vult Ille, in Cerebri ſui loculis contineri. Neque verò facilè credam quemquam Mente ſanum, ſi unum exceperim, id alteri perſuadere conaturum, ne tam pretioſum Theſaurum non tam mente capere, quàm Mente captus eſſe videatur.

35. Quin et in ipſo ejus *Methodi Sciendi* Limine lapſus eſt Ille, dum ut Experientia certum docet, Impreſſiones in *Senſibus* factas, differentes eſſe ſecundùm differentem Objectorum, quæ illas imprimunt, *Naturam*. pag. 1. §. 1. Ubi etiam notandum, quòd per *Naturam* illam, non Accidentia ſeu modos quoſdam, ſed *Rem ipſam*, ejuſque Eſſentiam ipſiſſimam, quod ex ſequentibus, præcipuè verò, pag. 4. 5. §. 10. 13. et 14. patet, intelligit. Cui et addamus quòd Corporis *Accidentia* ſeu *Modos* non à Corpore ipſo realiter diſtingui, ſed nihil aliud eſſe quàm Corpus illud ipſiſſimum, prout variè concipitur, affirmat. pag. 36. 37. 68. §. 18. et 70. §. 20. alibique ſæpius. Ut inde conſtet, *Corporis* cujuſcunque Naturam ſeu Eſſentiam, quam etiam ejus Subſtantiam vocat, ex Impreſſionibus in Senſibus factis diſcerni ſemper, *ſecundùm Illum*, deberi. Cùm tamen id ſcire oportuit, quàm multùm in his erratum ſit, quódque poſt Corporis alicujus Naturam eſſentialem mutatam, quæ priùs fuit *Superficies ſenſibilis*, quæ ſola Senſum afficit, ſæpiſſimè remaneat. Quod variis certè Exemplis oſtendi poteſt. "Videmus (inquit *Card. Bellarminus* Diſputationum "Tomo tertio) circa Subſtantias etiam Senſibiles, Ho"mines falli frequentiſſimè, cùm ex ſola apprehenſio"ne Senſuum judicant, ut patet, in Glacie, quæ vide"tur Chryſtallum, in Aurichalco, quod non diſcerni-

"tur

" tur ab Auro, et ſic de aliis. Et poſt pauca: Alla-
" tum eſt ad nos Romam anno 1585. à quibuſdam ex
" Syria fragmentum Ligni converſum in Lapidem, ma-
" nentibus Accidentibus quibuſdam Ligni, ut figura,
" colore, aſperitate &c. quod quidem ita verum Lig-
" num videbatur judicio Oculorum, ut ſanè qui rem
" non noſſet, juraturus fuiſſet illud eſſe Lignum, cùm
" tamen non lignum, ſed veriſſimus lapis eſſet. Immo verò, quod inopinatum fortè, quicquid contra nonnullis videatur, *Magnetis* naturam veram et eſſentialem in ſola illa partium *Diſpoſitione*, qua ad particulas *Striatas* admittendas adaptatur, poſitam ſeriò conſideranti, manifeſtum fiet, *Acum* Chalybeam Magnete tactam, naturam magneticam ipſo facto induere, proindeque in *Magnetem* verum, quippe quod eadem nunc in Ea, ac in *Magnete* natura Eſſentialis, ſola illa Superficie Senſibili remanente, mutari; nec tamen aliam, ſed *Eandem* omninò quæ priùs in Senſibus fuit, Impreſſionem eſſe. Neque vero plura in hac cauſa, Exempla deſunt, quæ videre eſt in *Diſſertatione* Sect. 74. Ut vel inde appareat, quàm parùm his in rebus, Senſibus fidendum eſt: Quod et Ille, qui ſe *Philoſophum Solidum* jactat non ignorare debuit, ne non *Philoſophus Solidus*, ſed in Eorum numero habeatur, qui in omnibus rebus adeò *Senſuales* ſunt, ut non *Rationi* locum relinquant.

38. Quin ut videamus etiam, quàm *Paradoxis* errat, contendit Ille, *Animas* Humanas non eſſe inter ſe æquales, ſed eſſentialiter pro *Corporum* ratione, quibus infunduntur, differre: ut et *Platonem* cum cæteris, non *Individua* eſſe, ſed *ſpecies* eſſentialiter itidem differentes. Quod inde imprimis patere exiſtimat, quòd ex ijs unus ſit alio *magis* vel *minùs* Rationalis. Prius habetur in *Sol. Phil.* pag. 258. 259. Poſterius verò, ut in Sol. Phil. pag. 269. ita et in *Sciendi Methodo*, his verbis

verbis : "Homo ſeu Animal Rationale, dividitur in-
"trinſecè et eſſentialiter in Illos, qui magis et minus
"habent Facultatem ſeu potentiam Ratiocinandi, qui,
" proinde propriè et eſſentialiter ſunt magis et minus
"Homines. pag. 30. Cui et Notandum ſubjungit, vul-
gares eſſe Logicos, qui *Hominem* faciunt infimam *Speciem*, dum manifeſtum ſit, inter Homines dari poſſe varios gradus magis vel minus Rationales, conſtituentes diverſas ſpecies inferiores *Hominum*; pari modo ac ſunt diverſæ ſpecies *Canum*, *Equorum*, *Arborum*, et *Florum*, pag. 30. et 31. Cùm tamen quaſi *ſui* oblitus, *Sectione* proximè ſequente aſſerit, quòd *Socrates* non poſſit dividi in plures, qui particularem Socratis Naturam in ſe habeant, quomodo *Homo* potuit in plures, qui communem habent Naturam Hominis. Neque verò *Homines* ideò eſſentialiter differre dicendi ſunt, quòd unus *magis* vel *Minùs* ſit Rationalis alio: Cùm notiſſimum ſit, magis et minus Speciem non variare. Quin et non eadem eſt *Hominum*, ac *Canum*, cæterorumque ſuprà memoratorum Ratio: Quippe his mechanicè ſolum conſtructis, non inſunt, ut *Hominibus*, Animæ Spirituales, quibus, Formis ſcilicet *Subſtantialibus*, non Corporibus ſolis, ſubſtantialiter, ſeu eſſentialiter inter ſe diſtinguantur. Neque verò neſciendum eſt, quod æquivoca ſit vox *Species*, ut et *Genus* etiam. Cùm manifeſtum ſit, Id *Juriſconſultis* eſſe genus infimum, quod in Scholis eſt infima *Species*, idque infimam eſſe *Speciem*, quod eſt *Individuum*; veluti cum dicunt, in *Mutuo* recipi non eandem ſpeciem, ſed *Genus*; pro quo in Scholis dicunt, non idem *Numero*, ſed idem *Specie*. Quin etiam apud *Medicos* et *Philoſophos*, paſſim videre eſt, *Speciem* et *Genus* alio ſenſu quàm apud *Dialecticos* ſumi. Id quod à clariſſimo *Cajo*, in libello de Canibus Britannicis (cùm de *Canibus* hic mentio fit)

nunc

nunc ediſcamus. Quippe primo folio de Animalibus iſtis Loquens. "Univerſitatem, inquit, *Generis* diſper-"tiar in tres Species, Generoſam, Ruſticam, et De-"generem. *Generoſam* item in duo *Genera*, alterum "quod Feras inveſtigat, alterum quod Aves perſe-"quitur. Utraque Latinis uno et communi nomine "dici poſſuut *Venatica*, ſed Anglis cùm aliud eſſe vi-"deatur Feras ſectari, aliud Aves capere, ut primum "*Venationem*, ſecundum *Aucupium* nominant, ita Ca-"num nomina volunt eſſe diverſa: Ut qui Feras laceſ-"ſunt *Venatici*; qui Aves, *Aucupatorii* dicerentur. *Ve-*"*naticos* rurſus divido in quinque Genera. Aut enim "Odoratu aut Viſu fatigant Feras, aut Pernicitate "vincunt, aut *Odoratu* et *Pernicitate* ſuperant, aut "Dolo capiunt. Et ſic de cæteris. Unde ſatis pateat, per varias *Canum* ſpecies, varios tantùm Naturæ Ca-ninæ gradus intelligi, quibus ſub generali et communi illo *Canis* vocabulo, varia, ratione Qualitatum quarum-dam imponuntur nomina. Id quod de *Equis*, *Arbori-bus*, et *Floribus* dici poteſt, maximè verò de Hominibus, quibus inſunt Formæ *ſubſtantiales*, non tota eſſentia, ſed numero, quicquid hactenus contrà objicitur, diffe-rentes; niſi fortean ex eo quod de *Genere* Humano dicimus, *Alios* eſſe indoctos, *Alios* doctos, Eoſque Aſtronomos, Dialecticos, Muſicos, tota Eos *ſpecie*, ſeu eſſentia differre concludamus. Neque vero *Rationibus* moveor, quibus in *Solida Philoſophia*, locis ſuprà cita-tis, contendit *Animus* eſſentialiter variari, ita ut una *majore* vel *minore* gradu Rationalitatis, pro ratione Corporis ſit prædita, dicens quòd, "ſi aliter id eſſet, "ita ut Anima apta foret magis perfectè operari, quam "permitteret Corpus; primo, *Major* ille gradus Ra-"tionalitatis in Anima perderetur, et vanus eſſet; et "dein, *Homo*, Dei Opificium, non proportionatus eſſet, "ſed aliquo modo *monſtroſus* in maximè eſſentialibus

ejus

"ejus partibus. Et poſt pauca addens, "Impoſſibile "eſſe (poſito *Animam* proportionari *materiæ*, tanquam "ejus *Formam*) ut duæ aliquæ Animæ omnimodò *ſi*-"miles forent, ſeu æquales quoad Rationalitatem; ſeu "potiùs, ut duo aliqui Homines capaces eſſent cognoſ-"cendi, ſeu Ratiocinandi, ad *eundem ipſiſſimum* gra-"dum: nam ſi *æqualiter* eſſent Rationales, illi *duo* Ho-"mines eſſent unus et idem Homo *eſſentialiter*, ſub no-"tione talis Speciei. Quibus reponi poteſt concedendo *Animas* habere poſſe *Aptitudinem* aliquam ad propria *Corpora*, immò et peculiarem quandam in Corporibus eſſe *Diſpoſitionem*, quæ Animabus propriis ſolùm competat; ita ut *Socratis* putà Anima, Corpori ſibi proprio, non Corpori *Platonis*, aut alterius cujuſdam aſſociaretur. Id quod lubentiùs admitto, indéque Rationem, quomodò in noviſſimo die, quiſque proprio ſuo Corpore ſit Reſurrecturus, petam, quod ipſi conſiderandum propono: Verùm non inde neceſſariò concludendum eſt, *Animas*, aut etiam *Homines* ipſos Anima et Corpore conſtantes, ſpecificè ſeu eſſentialiter inter ſe differre. Quippe non neceſſum eſt, ut ulla ſit in hac Animarum aptitudine Differentia *Specifica*, ſed numerica ſolùm. Quin et Animæ *ſpecificè* æquales, æquè ſcilicet in ſe *Rationales*, ab hujus Rationalitatis exercitio, ſalva eſſentia, à Corporis Diſpoſitione impediri poſſunt, cùm non eadem ſit *Animæ* ipſius ac ejus *Operationum* Ratio. Neque quidem eadem eſt *Animarum* ac *Hominum* ipſorum, ex Mente ſcilicet et Corpore compoſitorum Ratio. Unde et facilè concedamus ex *Hominibus* Alios eſſe Aliis, quoad Ratiocinandi *actum*, non autem *Potentiam*, præſtantiores; immò eoſdem Homines, nunc *magis*, nunc *minùs* pro Ratione temperamenti, ſani vel morboſi, ratiocinari. Neque verò ſequeretur, ut *Major* ille qui ſuſpenditur, Ratiocinandi gradus *perderetur*, et *vanus*, ſeu nullius om-

omninò uſus foret: Cum in hac vel in altera vita refloreſcat. Neque etiam *Homo* inde *monſtroſus* in maximè *Eſſentialibus* partibus audiat: cùm nulla hìc omninò *Monſtroſitas*, nec varii Ratiocinandi Actus inter *Hominis* partes maximè eſſentiales ullo unquam modo numerari poſſunt. Neque verò neceſſum eſt, ut *Duæ* Animæ, ſeu Duo *Homines*, quoad Ratiocinandi actum æquales omninò eſſent; quanquàm ſi æqualiter *Ratiocinarentur*, non deſinererent eſſe *Duæ* Animæ, ſeu *Duo* Homines. Ut vel inde conſtet, quàm id ſi verum eſſet, *Animas eſſe inter ſe æquales*, ut et *Homines non numero, ſed Specie differre*, futilibus tamen Argumentis hactenus ab illo aſſertum ſit. Quibus et illud etiam addendum, ſi demus *Hominem* dici poſſe *Genus*, atque *Socratem* etiam *Speciem*, non id proprium *Illius* Inventum; cùm *Ramus* diſertè in Logica ſua, *Hominem* vocat *Genus*, et *Petrum* et *Paulum* aliàque Individua vocat *Species*. Neque quidem Sophiſtarum quempiam latere poteſt, quàm graviſſima ſit hac in re, inter *Peripateticos* et *Ramæos* contentio, dum Illi acriter negant, Hi autem non minus acriter affirmant, Differentiam Eſſentialem inter Petrum et Paulum quidem dari, ſed utramque eſſe ignotam. Adeò ut nihil ultra hic reſtat, quàm notare, quomodò qui *Ariſtotelem* præ Aliis omnibus, præter Seipſum laudare ſolet, non ita Ejus honori fidus, quin *Paradoxi* gratia, Eum turpiter deſeruit, et in Inimici Caſtra aufugit, tranſvolavit.

39. Quin Principiis ſuis, Sibíque nimis fidens Ille, ne non aliquid in *Methodo* ſua, apportet Novi, vel *Angelum*, quod et de *Anima* à Corpore ſeparata intelligendum, *poſt primum quo extitit Inſtans, nec ab ullo Corpore*, pag. 309. *Nec à Seipſo*, pag. 310. *Nec ab alio Angelo uno aut pluribus*, pag. 311. 312. *Mutari poſſe* docet. Immò quod magis mirum, *Infinitè magis*

gis impoſſibile eſſe Angelum, puta etiam *Animam* ſeparatam, *Mutari poſſe à Deo poſt primum Inſtans, quàm ab alio Spiritu*, pro certo ponit. pag. 313. Idque hac ratione, quòd ſupponit *infinitè magis impoſſibile eſſe, ut Deus quàm ut alius ullus Spiritus poſt Durationem aliquam, Mutationem ullam in ſe reciperet, qua capax fiat tale effectum producendi.* pag. 314. Unde et ob eandem rationem concludit, *abſolutè impoſſibile eſſe Angelum*, addat etiam Animam ſeparatam, *poſt primum ejus exiſtendi inſtans Mutari.* pag. 315. Quæ quidem *Notio*, ac etiam *Ratio*, ſeu *Argumentatio*, ut Angelorum lapſui in Sacris literis tradito, ubi Eos non *ſervaviſſe* ſuum principatum, ſed dereliquiſſe ſuum Domicilium legimus, repugnat; Quin et *Rationi* ipſi, quippe quod qui lapſi ſint neceſſum eſt ut prius ſteterint, adverſatur: ita et in ſe *futilis* omninò eſt ac *temeraria*, et periculoſa quidem, dum Deum Eos in ſtatu *Damnationis* creaſſe inmuit; immò Ipſum mutando Creaturas ſuas, mutari etiam ſupponit. Neque vero alii magis uſui inſerviat, quàm ut oſtendat, non deeſſe qui ægrè fert, tum ut piè ſitientes *Animæ* ſpe ulla Liberationis ante ſupremum Diem gauderent, tum ut *Potentia Divina* ad id extenderetur: Cùm tamen Confidentèm oportet eſſe, ſi dixerit *Deum* aut adeò *Impotentem*, ut Earum deſideriis ſatisfacere non poſſit, aut adeò *Inexorabilem*, ut non velit.

40. Sed et ne quid deſit, quod non ultra miremur, *Deum ipſum Motus Creatorem, Cauſámve Efficientem eſſe non poſſe*, vehementiùs contendit Ille, adductis in Erroris ſui patrocinium malè intellectis Illis B. *Jacobi* verbis, Cap. 1. Vers 17. quibus docemur quòd apud Deum, *non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis adumbratio.* pag. 404. Quaſi verò *Mutatio* omnis non in *Creaturis* ſolis, ſed in *Deo* ponenda *eſſet*. Quin et pergit ſtatimque addit; *Vile eſſe opus et Laborioſum, Ejuſque*, Dei nimirum, *Eſſentiam minimè decere, ut*

ſit

ſit Motus, ſeu Mutationis, (ſic enim has voces Motum et Mutationem confundit) *cauſa immediata.* ibid. Unde et *Motum Angelis ſolis tribuendum eſſe,* priùs aſſeruit. pag. 300. alibique ſæpius. Qua quidem in re, *Epicuri,* quem priùs contempſerat, Se cultorem oſtendit, qui eiſdem Suaſionibus ductus, *Deum* res Humanas non curare, ſed ad Spiritus inferiores relegare, ut et Ei tàm exiguis adeſſe Rebus non vacare Voluit. Contra ac *B. Paulus docens Deum Mundum feciſſe, et omnia quæ in Eo ſunt.* Acts 17.24. Uti et, *Omnibus vitam, et inſpirationem, et omnia dare.* Verſ. 25. tandémque etiam concludens, quòd in *Ipſo,* ſeu per Ipſum, *Vivimus,* et *Movemur,* et *Sumus.* Verſ. 28. Sed et id etiam clarè docemur, quod *in principio Deus creavit Cœlum et Terram,* unde Ei *Materiam & Motum,* ex quibus Cœlum et Terra conſtant, Originem ſuam debere apparet. *Terra autem erat Inanis et Vacua,* Textu Hebraico ſubſtantivè, תֹהוּ וָבֹהוּ, *Solitudo et Inanitas,* ut vel inde ſpecialiùs *Materiam Primam,* quaſi *informem,* et in *abſtracto* quidem conſideremus. Quo ſenſu *Extenſionem* ipſam *abſolutè* et *abſtractè* quatenus *Formæ* omni et *Figuræ* Vacuam, dicimus. *Et Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi:* Nullum ſcilicet *Lucidum* per totum illud Expanſum, ſeu Extenſum fuit; quippe hic non Oculis, ſed Animis *Materiam* meram, abſque *Motu* omni, Lucis Qualitatúmque omnium Cauſa, exhibemus. Sequitur autem immediatè in eodem Verſu: *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Quo et nunc etiam *Motum* à Deo fuiſſe, ut et *Materiæ* ab eo inditum, non eſt ut quis ignoret, niſi fortean *Dei* nomine, *Angelum* fuiſſe, qui *creavit* Cœlum et Terram, qui *ferebatur* ſuper aquas, qui *diviſit* lucem à tenebris, Aquáſque ab aquis, ineptiat. Sed et dum Sacra Geneſis ait, *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas,* clarè (inquit *Albius* Append. Theol. de Orig. Mundi, cap. 2. §. 5.) *affirmat tria Elementa Terram, Aquam et Aerem*

rem creata esse à Deo. Quod si concessum sit, sequitur et *Motum* creatum fuisse, cùm Aqua et Aer sint *Corpora Fluida*, quorum omnium particulas semper in Motu esse, perfacile sit demonstrare. Neque vero *Ratione* fortiùs quàm Authoritate pugnat Ille, dum *nullum Ens essentialiter Immutabile, cujusque Naturâ directè contrariatur Naturæ Mutationis, causam immediatam Mutationis sive Motus* (eadem hic quæ priùs harum vocum confusio) *esse posse* asserit. pag. 300 et 301. Quasi verò *Dei* Natura non *Rei omni creatæ*, corporeæ maximè, contrarietur. Unde si hac ratione *Deus* ipse Motum causare non possit, Neque Corpus, Rémve ullam creare posse, proindéque *Cœli et Terræ Creatorem* non esse, necessum est asseramus. *Dixit* verò *Deus et factum est.* Non quod hic Dictio seu mandatum ad alium dirigitur, quod volunt illi, qui id Mediante Angelorum opera factum esse contendunt: sed potiùs ut sola Dei *Voluntate* Operante, idque Instantaneè, *Materiam* ipsam *Primam*, *Motúm*que ab ipso fluxisse intelligamus. Mutationem autem omnem non in *Motore*, sed in *Mobili* esse, clarius est, quàm ut probatione indigeat. Immò qui eam in *Deum*, dum quid movet, cadere existimat, ut *Dei* ipsius, ita et *Motus* naturam se nescire prodit: Cùm *Motus*, Cartesio rectè definiente, *Est Translatio unius partis materiæ, sive unius Corporis, ex vicinia eorum Corporum, quæ illud immediatè contingunt, et tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.* Sicuti *Quies* est *Translationis Absentia.* Vel ut habet *Rohaultus*, Motus est *Applicatio successiva Corporis, ad diversas partes eorum quæ id immediatè contingunt.* Similiter et *Quies*, est *perpetua Corporis alicujus applicatio ad easdem Corporis partes, quæ illud ambiunt, atque immediatè tangunt.* Quo quidem *primò*, innotescat, Motum ipsum non esse Rem subsistentem, sed Corporis *modum*; ut et *secundò*, distingui *Motum* debere ab Actione transferente, sive causa motus,

quæ

quæ eſt Vis illa Movens, quam non eſſe *Materiæ* modum aſſerimus, ſed *Dei* Actionem, qui ſolus ut Cauſa Univerſalis & prima, materiam primò agitavit, eademque Actione, qua primò creavit, conſervat. Immo cùm rectæ Rationi, Dei *ideam* (ſi ejuſdem *Oſori* placeat) contemplanti, conſentaneum ſit, Deum Creaturas ſuas modo ſimpliciſſimo conſervare; Hinc illud etiam hic addi poteſt, pluſquam probabile eſſe, Eandem prorſus et Materiæ et Motus quantitatem, quam primo condidit, (ſalvo ſemper Dominio Divino, quo poteſt ſtatutas fixáſque Leges, quando ei viſum fuerit, immutare) continuò manere, Eandem ſimpliciſſimo Dei Concurſu conſervante, quo omnia ſecundùm naturas ſuas fovet ac tuetur. Sed et illud etiam adjiciendum, quòd motus ipſius *Secunda et particularis* cauſa ſit Corporum Occurſus, quo fit, ut hæc Actio Divina, ſive Vis motum conſervans, nunc in his, nunc in illis Corporibus ſe exerat. unde et facilè iſti Difficultati occurritur, quæ ex motus Communicatione oritur; quippe licet *Motus*, utpote Corporis Modus, migrare neutiquam poteſt, Vis tamen agitans, cùm Corporis Modus non ſit, poteſt nunc in hoc, nunc in illo Corpore transferendo ſe exerere. Et quidem quandocunque loquitur *Carteſius* de Motus communicatione, intelligendus eſt de Vi iſta conſervante res Naturales, eo modo quo primities conſtitutæ fuerunt, omnéſque effectus ordinatè ſecundùm Leges ſtatas (ſalvo, quod dixi, Dei jure) Rebus ipſis accommodatas. Id quod pluribus quidem hic oſtenſum eſt, ut qui Veram Mundi Originem neſciiſſe videtur, melius de *Deo*, Ejuſque Opificio, hac in cauſa ſentiat, nec *Primum* ſolum *Mobile*, ſed et *Primum Motorem* agnoſcat.

41. Sed et ex *Paradoxis* ſuis Aliud eſt, quo ſibi placens, adeo delirat Ille, ut non poſſit non id ad Majorem ſui gloriam, totiúſque Univerſi Bonum publicare. "Vereor, inquit, ne immane videretur *Paradoxum*, ſi

" non *Blaſphemia*, negare Deum annihilare poſſe; et ta-
" men ex profunda et religioſa illa Reverentia, quam
" erga Dei Sapientiam, Bonitatem, et Potentiam gero,
" *declarare oportet* id *Dogma meum* eſſe, *non* magis *poſſe*,
" quàm Teſtimonium falſum atteſtari, ſeu alii ulli Im-
" perfectioni obnoxium eſſe. *Sol. Phil.* Pag. 184. Quare autem? Annihilandi certè Potentiam, non tollit Dei Omnipotentia, non ejus Bonitas, aut Sapientia. Neque verò Deum Falſum, aut Mutabilem eſſe, Annihilatio magis quàm Creatio arguit. Imperfectum quidem nullo unquam modo ponit. Quid igitur? Hac una ſcilicet ſua Gravi, proculdubio, et ſolidiſſima Ratione fultus eſt, quod " Communis nos doceat Senſus, Omnipotentiam
" eſſe Potentiam *agendi* omnia, et non *agendi nihil*. A-
" gere eſt aliquid agere; et proinde agere nihil, ſeu
" nihil facere (qui ſenſus Annihilationis) eſt, non a-
" gere: Et mira eſt Omnipotentiæ Notio, quæ ponit eam
" conſiſtere (tali occaſione) in non agendo. *Ibid.* Quin et, ne illuſtri careat Exemplo, eodem prorſus modo id eſſe addat, quo Neminem Jejunare poſſe ſolidiſſimè ex eo demonſtravit Nonnemo, quod *Jejunare* ſit *Nihil Edere*, cùm *Nihil* certè nequaquam *Edi* poſſit. Præclarè quidem, et lepidè ſatis! Quo vix quiſpiam ſe hic à *Riſu* abſtinuerit, ſi non in Re ſeria tenendus eſſet.

42. Hæ Secundæ erant illius Cogitationes. Neque tamen primis Meliores: Nam id prius in *Sciendi Methodo*, tanquam contradictionem implicans, et non *Potentiæ* ullius Objectum eſſe poſuit. " Quippe cum Po-
" tentiæ ſpecificentur ab Objectis, et Non-ens (quod
" nihil omninò agere poteſt, nec conſequenter ſpecifi-
" care potentiam) eſt objectum Annihilationis, Poten-
" tia Annihilandi eſt nulla potentia. *Pag.* 364. Rectiſſimè! Cui autem, objectioni occurrens, addit: " Non mi-
" nùs malè eſſe dicere *Deum* poſſe ſuſpendere ejus Actionem

" onem conſervandi: quia hoc à Deo tollit ejus *Boni-*
" *tatem*, ſeu Redundantiam, Exuberationem ſeu Com-
" municationem eſſendi, quæ eſt ei eſſentialis, et ſola
" Creationis cauſa fuit. *Ibid.* Quaſi verò Creatio, ita Deo Eſſentialis, ut, Velit Nolit, non potuit non Creare: Aut quaſi Deus, ſibi non Conſtans, Aliiſve Iniquus, aut non ſatis Beneficus reputandus ſit, ſi Creaturas ſuas ultra Tempus, Modúmque eis præfixum, non pergat Conſervare. Cùm tamen Ipſe aute pauca notaverat, " Deum ut *Bonitate*, ita et *Sapientia* præditum eſſe, quæ " Ejus Potentiam determinant. *Pag.* 363. Eſt ſiquidem Deus, quoad Omne ab Ipſo diſtinctum, Indifferens, nec ab Extrinſeco aliquo, ſed à ſe ſolum, Ratione ſua propria, non aliena determinatus. Quod priùs etiam, §. 20. aſſertum. Et quidem ſi *Deus* ideò dicendus ſit non poſſe Conſervationis Actionem ſuſpendere, qnia *Bonus* eſt, ob eandem item Cauſam dicamus, Eum non modo huic Mundo nunquam finem poſiturum eſſe, ſed et ab æterno Creare debuiſſe, quia ab æterno, et in æternum *Bonus* eſt. Id quod et clarè quidem innuiſſe videtur, argumento à *Dei* Eſſentia ducto loco ſupra citato, tum priùs etiam his verbis: " Ratio quare Deus *creat*, ſeu eſt cauſa eſ-
" ſendi, eſt quia Eſſentia eſt ei *Eſſentialis*. pag. 86. Unde et eadem Ratione Animarum Præexiſtentiam, (quam ſuo modo refutat, *pag.* 7.) cum *Origeniſtis* oportet ut teneamus. Si non et Dæmonum Damnatorum Reſtitutionem: Quippe quos, nullo eis permiſſo conſiderandi tempore, in primo Inſtanti, lapſos eſſe ſtatuit. *pag.* 317. Nec tamen adeò Omniſcii erant (quicquid contra vult, *pag.* 316.) Ut nihil ultrà ullo unquam modo ſciant: cùm ſic *Deum* ipſum Scientia æquarent: proindéque nec malitioſè ex his principiis, cadere dicendi ſunt. Quo fit, ut pari quo priùs argumento, *Deum* ex ſumma ejus *Bonitate*, *Eſſendi*que Attributo eſſentiali, tum Animabus Præexiſtentiam, eámque æternam, neceſſariò dediſſe,

tum etiam Dæmones lapsos, tandem aliquando in pristinum statum non posse non revocare, necessum omninò est ut concludat.

43. Qui autem sic in Deum impius, mirandum non est, si *Cartesium*, *Ideistásque* omnes, ut et alios quoscunque, pro libitu suo, nulla vel levissima de causa aspernatur. *Porphyrium* quidem cum quinario suo *Prædicabilium* numero abire jubet, cùm ipse *Sextum* hactenus incognitum solus detexit, in hoc uno tantùm infelix, quòd Ei *Nomen* assignare nequiret. *pag.*122. Quin et multa certè cum futilitate, nec minore fastu, vel ipsum calcat *Aristotelem*, dum non solùm Prædicamenta duo posteriora, *Situm* et *Habitum*, nullius esse usus, nec consideratione ulla digna affirmat, *pag.*100. Sed et *Secundam*, ut et *Tertiam* ejus Syllogismorum *Figuram* Ludibrio habet, cùm ipse interim Aliis deridiculo sit, ridiculis suis, contra notissimas *Syllogismorum* Leges, ex proprio Cerebro, neque enim Ei hæc Laus sit deneganda, ad Exemplum, quod ineptè sentit, Secundæ illius, et Tertiæ Figuræ, excogitatis *Syllogismis*, rectiùs autem *Paralogismis* dixerim. Quin adeste hic Oculis et Animis, *Academici*, nam et Vobis Magister esse vult, Novæ istius Logicæ, *Methodi*, si placet, *Sciendi* Inventor. En *Syllogismum* suum in *Secunda* sua Figura clarè et distinctè propositum!

" Aliquid Laudabile est Virtus,
" Comitas est Virtus, Ergo
" Comitas est Laudabilis, *pag.* 233.

En etiam *Syllogismum* suum in *Tertia* sua *Figura* clarè itidem et distinctè positum!

" Virtus est Laudabilis,
" Aliqua Comitas est Laudabilis, Ergo
" Aliquid Laudabile est Comitas. *Ibid.*

Facile

Facile quidem eſt, hac tua Methodo (Te enim Vir Ornatiſſime, nunc paucis velim) non unum *Ariſtotelem*, ſed et quos priùs ſpreviſti omnes, immò et Nobilem *D. Kenelmum Digbæum*, et *Albium*, quos certè aut Nullos laudas, ex Philoſophorum Albo eradere, et in Ludibria vertere. Neſciſne autem ex *Legibus*, quibus *Syllogiſmorum* et *Paralogiſmorum* diſcrimen cognoſcamus, eſſe, quòd *Major Secundæ Figuræ debet eſſe Univerſalis, et Altera Præmiſſarum Negans*; contra quam non uno modo peccat Syllogiſmus tuus Primus: Ut et quòd in omni Syllogiſmo, *Extrema ita collocanda ſunt in Concluſione, ut ſita ſunt in Præmiſſis*; contra quam etiam peccat Alter. Has quidem Leges non *Sophiſtæ* ſolùm, ſed et qui in *Academiis*, penè dixeram, recentiſſimè nati ſunt, probè norunt. Mirúmque te Virum Doctiſſimum, earum oblitùm eſſe, et tam turpiter in his rebus erraſſe, dum *Lectiones* tuas, Viris etiam Doctiſſimis, et apud Celeberrimas *Academias* florentibus, in Philoſophia Profeſſor non antè alias auditus dictitas. Verùm, Bonum aliquando *Homerum* dormitaſſe Legimus. Neque Novi quidpiam eſt, ſiqui aliena tractantes, tanquam *Sutor* ultra Crepidam, *Aſinúſque* ad Lyram, Imperitiam prodant. Unde Exorandus es, Vir Optime, ut *Res tuas* agas; Nec Conſiliis ſeverioribus aptior, Philoſophorum Conviviis te immiſceas: Ne qui in aliis *Lynceus*, in his *Talpa* cæcior habeatur; quique alias *Plauſu* dignus, *Sibilo* tandem excipiatur, *Nugatór*que in æternum audiat.

44. Quod unum autem reſtat, neſcio an tacere hic debeam; Me non ita tardum, quin ſtatim *Aſteriſcum* perceperim, quem nomini meo præfixit Vir Doctiſſimus, in *Provocationis* alicujus ſignum fuiſſe inſtitutum. Nec quidem negare poſſim, me ab Amicis quibuſdam accepiſſe, Illum me id mininè Cogitantem maximè urgere, ad *Philoſophiæ Carteſianæ*, Cujus Everſorem ſe

crepat, contra ſolidiſſimas ſuas, quas vocat, Rationes, *Prævaricationes* quidem et *Calumnias* rectiùs dixerit, Defenſionem. Unde his quidem Monitis Motus, nec tamen bonas Horas, Eum per omnia ejus nugamenta proſequendo, conſumere volens, ſed id ſæpe conſiderans, quod *Rectum ſit Index* (ſeu menſura, quod et ipſe notat) *Sui et Obliqui*, brevem iſtam *Diſſertationem*, quam hic exhibeo, Meditatus ſum, in qua ex Veritate Erroribus oppoſita, Se hac in cauſa falſum omninò et turpiſſimè Errantem ſentiat. Ex multis quidem, quæ in hanc Philoſophiam congerit, objectis, in quibus certè egregiè prævaricatus eſt, nonnulla fateor, hic à me intacta prætereo, idque conſultò quidem, cùm Præcipuis alibi, quod ſupra dixi, §. 15, ſatisfeci: Cæteris vel à Junioribus *Sophiſtis* neglectui omninò, aut contemptui habitis. Quin pigebat et mihi et aliis nauſeam creare, quicquid vel ipſe evomuit, vel ex Aliorum Vomitionibus corraſit, exponendo. Neque verò æquum eſt, ut à Viro non Anglo, ſæpiùs licet provocato, Libri alicujus Anglici Confutatio plenior expectetur. Immò in Cavillis quibuſdam ſuis Ille, quod de *Monumethano* dixit *Albius*, adeò Levis et Scurra, ut licet ad Illum refellendum ab Aliquibus ſim hortatus, ab Aliis tamen publicè mihi exprobratum ſit, quòd de Oppoſitione ipſius ſollicitus fuerim.

45. Neque verò hæc ita à Me dicta eſſe velim ut inimicè erga Eum affectus eſſe videar, aut non Eum debitis ſemper Honore et Amore proſequerer: cùm quicquid in Rebus Philoſophicis aberrat; Cætera certè Vir Magnus eſt, Pius imprimis et Doctus, Cujus et hæc Laus meritò habeatur, quòd ſit acerrimi Vir Ingenii, Copioſæ Facundiæ, Morum ſuaviſſimorum, et Diligentiæ admirandæ. Quin et his addam, Eum mihi multis Nominibus adeò charum eſſe, ut in omni re Ipſi Lubens accederem, ſi non is eſſem, cui Amicus *Plato*, Amicus *Ariſtoteles*, ſed magis Amica *Veritas*.

46. Quin

46. Quin ad *Diſſertationem* propero, hoc unum præfaturus, quòd quoniam à teneris annis de nulla re cogitare ſolebamus, niſi quæ Corporea Senſuum organa percellebant, Philoſophi decantatum illud invenerunt: *Nihil eſſe in Intellectu noſtro, quin priùs fuerit in Senſu.* Quod Effatum tanquam certiſſimum fundamentum amplexi ſunt, quod Demonſtratione nulla indigeret. Verùm, cùm illud in multis falſum inveniatur, ut cùm quis Navigio Vectus, aut Curru, *Terram*, *Arbores*, *Domus*, aliáque objecta, quæ pertranſit, moveri exiſtimet, cùm tamen Ipſe ſolum moveatur; Animum meum Cupido inceſſit examinandi, num in ordine ad *Veri* Contemplationem, *Senſuum* Fides foret etiam repudianda. Quod ut facilius atque ordine exequerer, præmiſſis quibuſdam ad Cognitionem in communi ſpectantibus, ſatis copioſè diſcuſſi *Primò*, quid eſſent *Senſus* in ſua Natura: *Secundò*, cui Uſui à Natura deputentur. *Tertiò*, Eorum Fallacia oſtenditur. Non oppoſitè ad *Intellectum*, cùm ſic aliud non ſunt, quàm *Motus* quidam Corporei, ab objectis extra nos poſitis excitati: ſed in eo *Error* eſt, quando Judicium ſeſe ultra perceptionem extenditur, et de Ideis illis, quas per *Senſus* accepit, plus judicat, quàm de iis concepit. *Quartò*, Senſus nihil compendii adferre, ad res *Spirituales* et Incorporeas cognoſcendas. *Ultimò*, in Rerum etiam Corporalium Notitia comparanda, deficere; Nec illarum Naturas unquam intimè ſcrutari, aut deprehendere. Concluſi demùm hanc eſſe *Intellectus* Prærogativam, puras et ſinceras Rerum Notiones percipere, et earum realitatem, qualis ea in ſe eſt, repræſentare. Ac proinde *nihil admittendum tanquàm verum, niſi quod clarè et diſtinctè cognoverimus.* Difficultatem ingerere non debet quod à Nonnullis Objicitur, Ea nimirum quæ à Nobis clarè et diſtinctè cognoſcuntur, *Deo*, *Angeliſve* falſa videri poſſe. Quoniam perceptionis Noſtræ Evidentia, non ſinit, ut talia fingentes audiamus. Hæc enim

enim *Perſuaſio* adeò firma eſt, ut nullam dubitandi cauſam patiatur, de Eo, quod in Animum induximus Verum eſſe, propter claram et diſtinctam *Perceptionem*. Unica enim eſt hæc Regula, Nec alia ab Intellectu fingi poteſt, quæ uſum in Scientiis comparandis obtinere queat. Nam qualemcunque *Demonſtrationem* requiramus, illa planè inutilis erit, nec Principii rationem habebit, niſi in quantum clarè et diſtinctè percipietur, ac proinde Evidens et Diſtincta Perceptio, non poteſt non eſſe ſtabile *Fundamentum* quo aliquid de Re cognoſcibili, certò, et decretoriè ſtatuendum eſt.

49. Quæ *Diſſertationi* huic annectitur Appendix de Mutatione Formali, in favorem Carteſianorum, ejuſdem Argumenti Appendici, quam in Peripateticorum favorem, Carteſianorum ille Contemptor, Suæ *Sciendi Methodo* annexùit, appenſa eſt. Impertinens quidem, et longè à Natura Methodi iſtius, remota eſt hæc Cauſa; Nec alii fortè Fini ab Eo deſtinata, niſi ut Majorem, quàm in ſe eſt, Carteſianos inter et Peripateticos Diſcordiam procreet: Sed qua tamen multùm ſibi placet Ille, Ideiſtarum Copias omnes ſic profligatas Occiſáſque Somnians. Unde Cæteris ejus Erroribus occurrens, Excuſandum magis eſt, ſi et Ipſe etiam, hac data Occaſione, Materiam iſtam tractem: Ut vel Ipſum Illum, hac etiam in Re, ut in Aliis non paucis, Errantem omnino et falſum oſtendam. Quippe Ingenio licet Multo, Pluribúſque Verbis abundet, Nihil tamen Magni, nec *Sani* quidem quippiam hic habet, quod à Me non priùs Dictum ſit; Nihil quod non ex Principiis Carteſianis Optimè Explicatur.

INDEX

INDEX

IN

Dissertationem de Ratione Cognoscendi.

Art. 1. *Omnibus Hominibus, insita est Sciendi Aviditas*, Pag. 1.

2. *Rebus Obscuritas, aliquando per Definitionem accedit.* p. 2.

3. *Cognitio non est Intentionalis Imago Objecti.* ibid.

4. *Neque est Cognitio in Directione Constituta.* p. 3

5. *Neque in Receptione Speciei in Potentia.* p. 4

6. *Ut Oculus locandus ad Videndum Ea, quæ sunt in Conclavi obscuro.* ibid.

7. *Errores nostri Ortum habent, ab Infantiæ nostræ Præjudiciis.* p. 5

8. *Quid est Cognitio propriè dicta.* p. 6

9. *Sensus Præsentia Objecta attendit.* p. 7

10. *Imaginatio est Contemplatio Imaginis Rei Corporeæ.* ib.

11. *Intellectio est Pura et Sincera Rerum Idearum Perceptio.* p. 8

12. *In prædictis Cogitandi Modis Nulla Falsitas invenitur.* p. 9

13. *Non Erramus nos, nisi cùm de Re non satis Cognita Judicamus.* p. 10

14. *Judicium non ad Intellectum, sed ad Voluntatem refertur.* p. 11

15. *Intellectio Necessaria est, Voluntas autem Libera.* p. 12

16. *Directa Cognitio nobilior est, quàm per Syllogismorum ambages acquisita.* ib.

17. *In omni Cogitatione Conscientia requiritur.* p. 13

18. *Id Authoritate S. Augustini confirmatur.* p. 14

19. *Conscientia est à Cogitatione inseparabilis.* ib.

20. *Qui*

INDEX.

20. *Qui Conſcientia carent, Cogitatione quoque deſtituuntur.* p.15

21. *Conſcientia eſt Operatio merè Incorporea.* p.16

22. *Ideæ Etymon.* p.17

23. *Idea non eſt Species Corporea.* ib.

24. *Ideæ Definitio et Natura.* p.18

25. *Opponitur, eſſe Objectivè in Intellectu, eſſe tantùm Denominationem Extrinſecam.* p.19

26. *Satisfit Objectioni.* ib.

27. *Duæ Realitates in qualibet Idea Conſiderandæ.* p.20

28. *Idea ſecundùm Utramque ſuam Perfectionem eſt Aliquid.* p.21

29. *Non eſt Eadem prorſùs Natura in Idea, quæ in Objecto.* p.22

30. *Aliud eſt Eſſe Objectivè, et Aliud eſſe Subjectivè in Intellectu.* ib.

31. *Triplicis Generis ſunt Ideæ, et primùm quid Innatæ.* p.23

32. *Quo ſenſu dicuntur Ideæ Innatæ.* p.24

33. *Quæ ſunt Ideæ Adventitiæ.* p.25

34. *Quid Factitiæ.* p.26

35. *Ut Factitiæ Ideæ ab Innatis diſtinguuntur.* ib.

36. *Exemplis Oſtenditur.* p.27

37. *Origo Cognitionis noſtræ ſecundùm Scholaſticos.* p.28

38. *Quid ſentiant Epicurei de Cognitionis noſtræ Origine.* p.29

39. *Quid in Cognitione comparandâ Obſervandum præcipit Carteſius.* p.30

40. *Ordo Dicendorum.* ib.

41. *Quid ſint Senſus, et Quomodo fiant.* p.31

42. *Tres Senſus Gradus in Senſu diſtinguendi.* p.32

43. *Hi Tres Gradus Exemplo Explicantur.* p.33

44. *Natura Senſus Primi Gradus in Motu conſiſtit.* ib.

45. *Mentem eſſe talis Naturæ, ut à Solo Corporis Motu, Varii Senſus in Ea Excitari poſſint.* p.34

46. *Id in Tactu oſtenditur.* p.36

47. *Idem de Guſtu Manifeſtum.* p.37

48. *Atque etiam de Odoratu.* ib.

49. *Auditus etiam per Motum localem peragitur.* ib.

50. *Viſus*

50. *Visus utique per Motum peragitur.* p.38

51. *Nihil in Objectis Externis deprehendimus, præter Ipsorum Figuras, Magnitudines, et Motus.* ib.

52. *Cur clausis paulo post Conspectum Solem Oculis, Varios Colores videre videamur.* p.39

53. *Concluditur nihil ad Sensum, præter Motum localem requiri.* p.40

54. *Motus Organi Corporei verè Sensus Nominatur.* ib.

55. *Bestiæ ut Vita et Sensu donari dicuntur.* p.41

56. *Nihil præter Motum Organicum in Brutis reperitur.* p.42

57. *Ratio Prima, qua ostenditur Bruta Cogitatione Destitui.* ib.

58. *Ratio Secunda, qua Brutorum Impotentia ostenditur, ad aliquid detegendum Nutu vel Voce, quod ad Cogitationem pertinet.* p.43

59. *Nihil in Brutis reperitur præter Organorum Dispositionem.* p.44

60. *Quem in Finem sunt Nobis Sensus à Natura Dati.* ib.

61. *Origo Sensuum tam Internorum, quàm Externorum.* p.45

62. *Sensus quid Composito Humano Prosit, vel Obsit, docent.* p.46

63. *Naturæ Ordo pervertitur, quando Sensibus Utimur ad Veritatis Cognitionem.* ib.

64. *Objicitur ex quibusdam locis Carteſii, Sensus Veritatem aliquando detegi.* p.47

65. *Explicantur Objecta ex Carteſio ſumpta.* ib.

66. *Utiles ſunt Sensus ad Vitam Hominis Animalem.* p.49

67. *Malbranchius defenditur Asserens, Nobis datos tantùm esse Sensus, ad Compositi Conservationem.* ib.

68. *Sensus Fallaces sunt Nuntii. Id in Tactu Experimur.* p.50

69. *Eandem Fallaciam Experimur in Gustu.* p.51

70. *Nobis utique Odoratus sæpè Imponit.* p.52

71. *Idem in Auditu Ostenditur.* ib.

72. *Variis modis Visus decipit: Primò, Ratione Distantiæ.* 53

73. *Se-*

73. *Secundò, Ratione Medii.* ibid.
74. *Tertiò, Ratione Superficiei.* p.54
75. *Quartò, Ratione Impressionis.* ib.
76. *Error in hoc consistit, quòd non Advertatur.* p.55.
77. *De Sensuum Fide Dubitandum.* ib.
78. *Prudentiæ est, Sensuum Testimoniis Diffidere.* p.56
79. *Par Deceptio Sensibus Internis Provenit.* p.57
80. *Duæ Generales Sensuum Errorum Causæ. Prima.* p.58
81. *Altera Causa Dubitandi de Sensuum Fide.* p.59
82. *Negari non potest, quin Sensus interdum Fallant.* p.60
83. *Multarum Rerum Ideas habemus, quæ à Sensu non pendent, ut Notiones Communes.* p.61
84. *Virtutes Nullo Sensu possunt Exhiberi.* p.62
85. *Item Scientiæ Nulla Specie Corporum Exprimuntur.* p.63
86. *Cogitatio Nostra, Nulla Specie Corporali potest Depingi.* p.64
87. *Dei Idea, est à Sensibus Independens.* ib.
88. *Homo ad Deum Cognoscendum, tanquàm suum Principale Objectum, fertur.* p.65
89. *Quid Dei Nomine, Gentes intellexerunt Sapientiores.* p.66
90. *Pagani nunquam pro Deo Summo, habuerunt Res Imperfectas.* p.67
91. *Sociniani Honorem Christo, non tanquàm Deo Exhibent.* ib.
92. *Deus cùm Cogitari possit, de Eo possumus habere Ideam.* p.68
93. *Impium est dicere, se non habere Dei Ideam.* p.69
94. *Agnoscunt passim Philosophi, Nos habere Ideam Dei.* p.70
95. *Idea Dei, non potest à Sensu provenire Externo.* p.71
96. *Neque ab Interno,* ib.
97. *Neque ex prævia Rerum Corporalium Visione.* p.72
98. *Neque à Parentibus, ab Institutione, aut Sacra Scriptura, Dei Idea hauritur.* p.73

99. *Idea quam de Deo habeo, non eſt à Me Efficta.* p.74

100. *Sed Menti Noſtræ Innata.* ib.

101. *Cæcus Clariorem habere poteſt Dei Ideam, quàm Videns.* p.75

102. *Subſtantia non poteſt ex Senſibus Percipi.* p.76

103. *Quæ ſunt, quæ à Senſibus rectè Percipiuntur.* p.77

104. *Corpus etiam Particulare, neque Senſibus, neque Imaginatione Percipitur.* p.78

105. *Id Exemplo Hominis, per Feneſtram Viſi, Confirmatur.* p.79

106. *Figuræ Mathematicæ, non per Senſus Cognoſcuntur.* ib.

107. *Ut patet in Charta, in Lineolis depictis Hominem Exhibentibus.* p.80

108. *Multæ Figuræ Mathematicæ, Senſu non deprehenduntur.* p.81

109. *Baculus in Aqua, non Seuſu rectus Judicatur, ſed ex Ratione.* p.82

110. *Corpora dantur adeò Subtilia, ut ſub Seuſum non Cadant.* p.83

111. *Nihil fermè in Mente eſt, quod priùs fuerit in Senſu.* ib.

112. *Solius Intellectus eſt, Rerum Naturas Cognoſcere.* p.84

113. *Variæ Opiniones Scholaſticorum Circa Regulem Sciendi.* p.85

114. *Carteſii Regula, unde Ortum habuit.* ib.

115. *Illud Omne Verum eſt, quod Clarè et Diſtinctè Percipitur.* p.86

116. *Quæ Certa, quæ Probabilia, quæ Dubia æſtimanda.* p.87

117. *Diſtinctio Rerum, ex Eo petitur, quòd Quicquid Clarè et Diſtinctè percipio, eſt Verum.* p.88

118. *Diſtinctio Mentis à Corpore Oſtenditur.* ib.

119. *Ad Veram Cognitionem, non ſufficit quòd ſit Clara, ſed requiritur, ut etiam ſit Diſtincta.* p.89

120. *Fit Cognitio Clarior, quo Plura habentur Rei Attributa.* p.90

121. *Ut Cognitio ſit Clara, noc requiritur quòd ſit Adæquata.* p.91

122. *Non obeſt quòd Aliqui, ſe Deceptos eſſe poſteà reperiant.* p.92

123. *Impe-*

123. *Imperiti, quando fallantur in iis, quæ putant ſe Clarè Cognoſcere.* p.93

124. *Hæc Regula, non ſe Extendit ad Res Agendas.* ib.

125. *Neque ad Myſteria Fidei.* p.94

126. *Clarè et Diſtinctè Cognoſcere, eſt Unica Veritatis acquirendæ Regula.* p.95

127. *Totius Opuſculi hujus Concluſio.* p.96

ERRATA ſic Emendentur.

Præf. Pag. 1. lin. 24. *Cauſis*, P. 4. l. 12. Noſtro, P. 6. l. 29. *ageretur*. P. 25. l. 4. *Propriæ*,

Append. P. 98. alibique. Sæpiùs P. 103. l. 8. Eadem P. 112. l. 8. Sæpè Sæpiùs P. 119. l. ult. diſpoſitæ P. 121. l. 11. conſumatur, P. 129. l. 30. Anima P. 137. l. 5. diſtinguuntur P. 140. in Marg. Coufirmatur.

Cætera ſunt ad Calcem Appendicis. P. 142.

Diſſertatio

Antonii Le Grand

DISSERTATIO

De Ratione Cognoscendi;

ET

APPENDIX

De Mutatione Formali.

Accessit

Censura Justissima.

LONDINI,

Apud Joannem Hartly Bibliopolam.

MDCXCVIII.

DISSERTATIO

De Ratione Cognoſcendi.

CUM Cognitio, ſeu rerum Notitia, præcipuum habeatur Humani generis Ornamentnm, atque illud à Brutorum Animantium grege dividat ac ſeparet; mirum non eſt, ſi ejus cupidine Mortalium plerique tam impenſe tangantur, et tacito Naturæ inſtinctu, ad ejus poſſeſſionem aſpirent. Etenim quemadmodum Aves, ut cum *Quintiliano* dicam, ad volatum, Equi ad Curſum, ad ſævitiam Feræ gignuntur; ita nobis propria eſt Mentis agitatio atque Solertia: Unde origo Animi coeleſtis creditur: Hebetes Vero, et indociles, non magis Secundùm Naturam Homines eduntur, quam prodigioſa Corpora, et Monſtris inſignia: ſed hi pauci admodum fuerunt, quibus ut plurimum non tam Natura, quam Cura defuit. Hoc ſciendi deſiderium expromunt, tot ſtudioſæ obſervationes, tot congeſta cum ſollicitudine magnoque cum ſumptu Experimenta, tot ac tam longæ ad exteras oras peregrinationes, diſcendi cauſa ſuſceptæ. *Democritus*, ſi Diodoro Siculo credimus, ultra octo-

I. Omnibus Hominibus inſita eſt ſciendi aviditas.

ginta annos continuos philoſophandi amore profectus eſt, ubicumque gentium, aliquid ſe cognoſcere poſſe putaret. Sic *Pythagoras* Memphiticos vates adijt. Sic *Plato* Ægyptum, Italiam peragravit, literas quaſi toto orbe fugientes proſecutus. Sic *Apollonius*, ut alios plurimos omittam, Caucaſum, Albanos, Scythas, Indiam penetravit, ut Hiarcham Brachmanorum Philoſophorum principem conveniret. Nihil non ſuſtinet, nihil non molitur Humanus Animus, quo Doctrina imbuatur, et rerum cognitionem ſibi comparet.

II. Rebus obſcuritas aliquando per Definitionem accedit.

Verùm, quid eſt *Cognitio* illa, cujus amore Homines tantopere capiuntur, et cui obtinendæ nihil non laboris ſubeunt? Certè nihil illa notius eſt: cùm in mente noſtra ſit, et cujus Mens noſtra eſt proximè conſcia. Sed contingit, ut nonnunquam *Philoſophi* etiam ipſi aberrent, dum quæ clara ſunt, omnibuſque innoteſcunt, definienda ſuſcipiunt, et quæ ſimpliciſſima ſunt, ac per ſe nota, *Logicis* Deſcriptionibus explicare aggrediuntur. Quippe non omnes, pari modo Cognitionem mente concipiunt, neque ejus naturam ſimili Definitione complectuntur.

III. Cognitio non eſt intentionalis imago objecti.

Nonnulli Cognitionis rationem in quadam Qualitate conſtituunt, quæ ſit *Vitalis Imago*, et *intentionalis*, ut loquuntur, *objecti ſimilitudo*. Adeo ut ad rem quampiam cognoſcendam, exempli cauſa, *Solem*, et *Triangulum*, requiratur expreſſa in Cerebro noſtro Solis et Trianguli effigies, quæ illa referat, eaque repræſentet. Sed plurima ſunt, quæ hanc cognitionis Definitionem labefactant, eamque debilem ac mancam reddunt. *Primò* non eſt univerſalis,

verſalis, cum non niſi Senſui, ſive Senſationi, cujus eſt præſentia exhibere, conveniat. *Secundo*, non eſt propria, neque ea evidentia gaudet, quæ in Rerum Definitione exigitur. Non *propria*, cum ad alia ſe extendat, et non minus voluntatis ſit, quam Cognitionis. Non *Clara* et evidens, quandoquidem qui Cognitionem verbis prædictis exprimunt, Similitudinis illius lineamenta non exhibent, ſubtiliuſque quippiam cogitatione confingunt, quam ut motum corporeum vel minima parte contineat.

IV. Neque eſt Cognitio in Directione conſtituta.

Alij in *Directione* ſitam eſſe Cognitionis naturam contendunt. Quia, inquiunt, omnis Cognitio, tam Mentis, quam Senſus, tam Angelica, quàm Divina cognoſcentem dirigit, eique quodammodo partes ſuas aſſignat; atque è *Directione* velut prima ſtirpe, omnis Cognitionum varietas, ac multiplices proprietates eſſe cenſentur. Neque corpora gravitate, aut levitate propria, ſed impulſione aliena, ut certa loca capeſſant, diriguntur; neque Impulſio ipſa aliter Directionis vocabulo ſignificatur, quam Sanitatis effecta, aut ſigna ſana dicuntur. Formalis enim Directio *Cogitationi* ſoli convenit, quam ne volitioni quidem, quæ Inclinationi potius et propenſioni, quàm Directioni, Indicationi, aut oſtenſioni eſt, quiſquam notionibus claris aſſuetus tribuat. Neque Intellectio ex ſimilitudine vocatur imago *Floris*, cùm Nihil magis diſſimile fingi poteſt, ſed quia imago Cognoſcentem dirigit, ut *Florem* agnoſcat. Adverſus hanc Opinionem reponunt alii, quòd etiamſi Mens Cognitione ſua dirigeretur, id tamen Minus perſpicue Cog-

nitionis Naturam exponeret. Perinde enim est, ac si Cognitio diffiniretur prima Cogitatio, aut primus cogitandi Modus; vel si definiretur, quemadmodum à *Logicis* designari solet, Cogitatio Mentis neque affirmantis neque negantis, esset dicenda.

V. Neque in receptione speciei in potentia.

Quidam arbitrantur *Cognitionis* essentiam in unione, aut receptione speciei in potentia consistere, vel in receptione in externo Sensus organo. Sed ne hæc quoque sententia admittatur, Rationes dissuadent: Si enim cognoscere aliud non est, quàm speciem aliquam recipere, quidni *Aer*, et *Speculum* inter res cognoscentes reponantur? Quidni oculus *Bovis* mortui, videre, seu cognoscere dicatur. Quippe si evulsum recens mactati Bovis oculum asseris ad id facti foramini immittamus, ut pars ejus anterior, Objecta foris posita à *Sole* illustrata respiciat: Posterior autem *Conclave* versùs dirigatur, quod totum caliginosum lumen omne refugiat, præter id quod oculum ingreditur, atque circa fundum, ne Humor effluat, *Ovi* putamen, aliudue corpus album adhibeatur; quandam objectorum externorum picturam in eo spectabimus, satis distincte ea imitantem; modò tamen omnia sic administrentur, ut oculus iste naturalem suam et debitam objectorum distantiæ figuram, quam proxime retineat.

VI. Ut oculus locandus ad videndum ea quæ sunt in conclavi obscuro.

Quantum autem de secando *Bovis* oculo, ita ut idem videri possit, quod in Conclavi obscuro testatur *Carteſius* se ejus experimentum feciſſe. Sumpsi, inquit, oculum Bovis vetuli, (quod notandum est cùm juniorum oculi non sint translucidi) electaque semisse testæ Ovi,

quæ

quæ talis erat, ut prædictus oculus commode inſeri poſſet, non mutata ejus figura; diſcidi forfice acutiſſima duas pelliculas *Corneam* et *Vveam*, tertia quæ Retina eſt, illæſa; et particula rotunda, quam reſecavi magnitudine circiter Denarium Monetæ Gallicæ (*un ſols*) æquavit, Nervumque opticum pro Centro habebat. Poſtquàm ejus ambitum integrum ita reſecueram, Nondum remota ea à loco ſuo, attraxi nervum illum *opticum*, qui ſecutus eſt cum Retina, quæ dirumpebatur, Humore vitreo nec quicquam læſo; Adeo ut ea cooperta ovi teſta, retrò eam conſpicere mihi licuerit quod volueram. Nam teſta *ovi* ſatis tranſlucida erat ad hunc effectum, eamque alijs hactenus eodem modo etiam ſine teſta ovi in charta ſaltem commonſtravi. Fateor *oculum* ex anteriori parte ſolere quodammodo in rugas contrahi, unde Imago minùs perfecta redditur, ſed remedium adhiberi poteſt digitis paululum premendo à latere, ſive etiam ſumendo oculum *Bovis* recenter mactati, immerſumque ſemper in aqua ex quo primùm è Capite erutus eſt, in qua teneatur dum pellicula reſecetur, donec teſtæ ovi ſit adaptatus. Hæc pertranſeam.

VII. Errores noſtri ortum habent ab Infantiæ noſtræ præjudicijs.

Quid igitur erit tam illuſtris illa Animi functio, ſi ejus Eſſentia neque in intentionali imagine, neque in directiva poteſtate, neque in receptione ſpeciei in organo externo poſita eſt? Quantum ad me, facilè eò adducor, ut credam, rationem propter quam difficile eſt, eam invenire, eſſe, quod à teneris annis, de nulla re cogitare ſolebamus, niſi quæ corporea Senſuum organa prius moviſſet, atque

affeciſſet. Inſuper, quia et Infantes et pueri nihil intelligebamus, quin ſimul aliquid imaginaremur, *Intellectionem* et *Imaginationem*, etiam dum Viri ſumus, pro uno eodemqne accipimus, nec quicquam Intelligibile putamus, quin idem ſit Imaginabile, haud ſcientes, ea ſola eſſe imaginabilia, quæ in Extenſione, Motu, et Figura conſiſtunt. Simili ratione, quoniam eopſe momento, quo Corporis noſtri organa, à rebus externis movebantur, Mens Corpori juncta aliquid percipiebat, utrumque pro uno ſumentes, Corporeis Senſuum organis *Perceptionem* tribuimus, quam Sapiens ſoli Intellectui aſſignat. Omnis enim Humana Cognitio eſt Intellectualis, quatenus omnis in et ab Intellectu, ſeu *Mente* eſt; unde non tantùm intelligere, ſed attentè percipere, conſideratè judicare, Cognitio eſt Intellectualis.

VIII. Quid eſt Cognitio proprie dicta.

Eſt igitur Cognitio ipſa mentis inſpectio, perceptio, intellectio, aut alia ſi quæ ſunt vocabula, quæ actum mentis, proprium deſignant. Nam ſi Cognitionis *Functiones*, ſunt Operationes, quæ extra Animam non exeunt, quæque nihil habent cum Materia commune, fruſtra ad aliud, quam ad Mentem ipſam recurrimus, ut ejus naturam exploremus. Nam quamvis quædam ex noſtris perceptionibus à Corpore pendeant, ejuſque motibus obſequantur, nullæ tamen aſſignabiles ſunt, quæ ad Mentem non pertineant. Quid igitur eſt Cognoſcere? Nihil aliud certe, *quam Rem ipſam, quæ percipitur*, ſibi *exhibere*, aut repræſentare, aut quod eodem recidit, Rem ſibi præſentem, ſiſtere. Nam quicquid *Mens* immediatè percipit, neceſſario illi intimè præ-

ſens

ſens eſt, Quemadmodum *Plato* loquitur in Thæeteto " Cogitatio eſt Sermo, quem mens " apud ſe volvit circa illa, quæ conſiderat. " Cùm enim cogitat, ſecum ipſa differit: " adeo ut Cogitatio, ſit ipſa ſine ſtrepitu vo- " cis oratio, aut interior qnædam collocutio. Eſt igitur Cognitio in genere ſumpta, Ea Mentis operatio, qua quicquid mentem attingit, aut in ea actu eſt, excitaturque, percipit.

IX. Senſus præſentia objecta attendit.

Omnes autem Mentis noſtræ perceptiones ad tres referuntur, *Senſum*, *Imaginationem*, et *Intellectum* purum, Quæ à ſe invicem diſcriminantur, non in Modo tantum, quo Notiones, ſeu *Ideæ*, quæ unicuique earum miniſtrant in mente excitantur; verùm etiam in Modo, quo eas Anima contemplatur. Mens oblatum objectum *Senſu* percipit, cùm ad illius Motum, ab Objecto exteriori, ad Senſorium commune propagatum, attendit, illinſque impreſſione afficitur. Adeòque objectum ſenſibile percipere, nihil aliud, eſt, quam paſſionem ſuam cognoſcere, quam in ſe ab objecto præſente recipit. Unde præſentia Senſibus aliqua eſſe dicuntur, quatenus objecta ſic Senſuum organa actu movent, ut inde de ijs ad cogitandum Mens excitetur: quod facilius eſt, quam abſque tali excitatione, de rebus aliquibus cogitare. Et id nota ac character eſt, quo *Senſus* à reliquis duobus perceptionis modis diſtinquitur.

X. Imaginatio eſt contemplatio Imaginis rei corporeæ.

Secundus percipiendi Modus eſt *Imaginatio*, quæ ab Intellectione, diſtinguitur, quod in omni Imaginatione, ſit Figuræ, ſive *Imaginis* rei corporeæ contemplatio. Non dico quod imaginari, ſit rem corpoream percipere, nam

Intellectus res corporeas percipit ſive intelligit, ſed quòd imaginari ſit Figuram, Imaginemve rei corporeæ contemplari. Imaginatio autem à *Senſu* diſcrepat, quod nobis conſcij ſumus noſmet ex nobis ipſis Intellectui occaſionem excitare, quod eo percipiendi Modo rem apprehendit, quem *Imaginationem* nuncupamus. Experimur autem in nobis, cùm imaginamur, in ea Operatione Intellectus, contentione aliqua opus eſſe, non autem ad id quod imaginari nos intelligimus, aut quod Imaginationis noſtræ conſcij ſumus. Ex his concludendum eſt, *primo*, Imaginationem abſque Corporis organis non peragi. *Secundo*, Singularia dumtaxit Imaginatione apprehendi. *Tertiò* Corpus et Corporis Modos per Imaginationem percipi, Nihilque ad eam Facultatem referendum eſſe, in quo corporis *Figura* Menti non obverſatur. *Quarto*, ad imaginandum opus eſſe ſpecie veri Corporis, cui Mens ſe applicat, quamvis Corpus illud in ſe non recipiat. Mens enim Extenſionem non per extenſam ſpeciem in mente exiſtentem intelligit. Itaque Imagines in *Phantaſia* deſcriptæ, non ſunt Ideæ, quatenus phantaſia illa eſt res corporea, ſed tantùm quatenus ipſam, in illam *Cerebri* partem converſam informant; ac proinde quædam Imaginationi præſentia dicuntur, in quantum Species eorum Cerebro impreſſæ, mentem excitant, et ad cogitandum determinant.

XI. Intellectio eſt pura et ſincera re-

Tertius percipiendi Modus eſt *Intellectio*. In omni quidem Senſu et Imaginatione eſt Intellectio, quatenus in utriſque eſt perceptio:

Et

Et ideò Senſus et Imaginatio hac ratione conſiderata, non minùs ſunt Intellectus operationes, quam Intellectio propriè dicta: et perceptio illa fit ſine organis, ſine contentione, ſine ſpeciebus corporeis: Intellectio igitur ab his duobus percipiendi Modis diſcriminatur, quòd in *Intellectione* nullus prævius Corporis concurſus ad percipiendum requiratur. Præterea ab *Imaginatione* Intellectio differt, quod in Imaginatione ſemper attenditur ad *Figuram*, ſive Imaginem; et à *Senſu*, quod Senſus ſicut et Imaginatio, ſingularia tantum cognoſcat, Intellectus autem etiam Univerſalia contemplatur. Qui hoc attentè conſideraverit, ſtatim apprehendet, quid illud ſit, quod Intellectione, quid, quod Senſu, aut Imaginatione percipit. Ita Subſtantiam non *Senſu* percipio, quia Accidentia Senſum tantum afficiunt: Non *Imaginatione*, quia ratio formalis ſubſtantiæ in Extenſione non continetur, cum dentur Subſtantiæ ſpirituales, ergo ſola Intellectione. Pari modo, quia *Chiliogoni*, ſive Figuræ mille lateribus conſtantis omnia latera per *Imaginationem* contemplari non valeo, ob nimiam eorum multitudinem, qua confunditur et obruitur animus, dum ad eam quaſi coram intuendam ſe applicare nititur; *Chiliogoni* perceptio non Imaginatione fit, ſed Intellectione: clarè enim et diſtinctè *Chiliogonum* intelligo, alias quomodò tam multa de eo demonſtrare poſſem? Hæc omnia diſtinctionem inter Intellectum purum et phantaſiam perſpicue demonſtrant.

rum Idearum perceptio.

XII.

Quantumvis prædictæ tres mentis *operationes* inter ſe diſtingui videantur, in hoc tamen

In prædictis Cogitandi

Modis nulla falsitas invenitur.

men conveniunt omnes, quòd earum *Ideæ*, si per se considerentur, et citra Relationem ad aliud quid, falsæ propriè esse nequeant. Sive enim Domesticum canem, sive *Cerberum* infernalem imaginer, non magis à veritate alienum est, me unum imaginari, quàm alterum, licet unum fortassis clariùs distinctiúsque, alterum obscuriùs et confusiùs mihi repræsentem. Intellectus enim neque affirmat, neque negat quicquam, sed illud simpliciter apprehendit. Ac proinde nullus error, si Erroris vox in propria sumatur significatione, in hujusmodi perceptione reperitur, quoniam Affirmationem et negationem non continet, nec sequitur, sed antecedit, quarum alterutra ad errandum requiritur. Nam quemadmodum fieri non potest, ut non cogitem, cum me cogitare cogito, ita fieri nequit, ut non intelligam, quando me intelligere intelligo. Cùm itaque *Dolorem*, exempli causa, *Corpus*, *motumque* intelligo, fieri non potest, quin revera id intelligam, quod me intelligere intelligo; et in hoc falli nunquam possum.

XIII. Non erramus nos, nisi cum de re non satis cognita Judicamus.

Enimuerò cùm perceptio aliud non sit, quàm aliqua *lux* Mentis, à patre luminum promanans, quem omnis veri fontem, hoc est, summè Veracem, et omnis perspicuæ Cognitionis datorem agnoscimus, rectè sine dubio percipimus quicquid percipimus, nec fieri potest, ut falsum judicemus eo ipso quo rem aliquam judicandam simpliciter tantùm apprehendimus. *Error* tantum oritur, ex eo quòd percipiendi et judicandi actus non exæquentur, Nam cùm magna sit voluntatis latitudo, nec Minor Intellectus angustia, accidere potest, ut illa latiùs evagetur,

tur, quàm clara hujus perceptio eundum eſſe monſtraverit; Ac proinde mirandum non eſt, quòd falſum pro vero eligamus, adeóque fallamur, et in errorem ruamus. Ad judicandum, inquit Philoſophus, requiritur quidem *Intellectus*; quia de re, quam nullo modo percipimus, nihil poſſumus judicare: Sed requiritur etiam *voluntas*, ut rei aliquo modo perceptæ aſſenſio præbeatur.

XIV. Judicium non ad Intellectum, ſed ad voluntatem refertur.

Ji igitur maximè decipiuntur, qui Judicium omnino ad *Intellectum* pertinere contendunt, neque quicquam aliud eſſe, quam Intellectus aſſenſum, aut diſſenſum, ſeu Intellectus determinationem, circa Rerum quarumdam habitudinem verè vel apparenter perceptam. Nam ut aliud eſt *Leonem* intueri, aliud ipſum timere, ſive averſari, aut amare, qui ſunt actus *Voluntatis* ſtrictè ſumptæ: Sic etiam aliud eſt veritatem aliquam intelligere, hoc eſt, eam apprehendere, et aliud judicium formare circa veritatem apprehenſam. Etſi enim ubi veritas perſpecta eſt, Judicij aſſenſus ſubſiſtere non ſoleat, inde non ſequitur, hæc duo unum et idem eſſe. Ergo volitio late ſumpta, eſt *Latio* quædam Humanæ Cogitationis versùs objectum in Idea propoſitum ſub notione Veri et Falſi, quod Judicium vocatur, à mente ſeſe movente ortum; nam ſola Mente ſemetipſam movente fit, ut *Ideæ* inter ſeſe conjungantur, aut à ſe invicem removeantur. Præterea, illa mentis Cogitatio *Judicij*, ſive Sententiæ nomen ſortita eſt, in quantum voluntas noſtra, tanquam Judex, inter unam et alteram Ideam conſtituta, de quibus mutuò connectendis ſeparandisve, velut lis quædam, aut Controverſia orta eſt, litem

tem dirimendo, eaſdem Ideas conjungit. Unde inter Homines vulgatum, *Judicia ſunt libera.*

XV. Intellectio neceſſaria eſt, voluntas autem libera.

At à plurimis dicitur, Judicium non voluntatis eſſe *Actionem*, ac proinde non liberum eſſe. Reſpondeo; cùm duo tantùm generales agendi modi Menti noſtræ tribuantur, et Judicium à formali ratione agendi Modi Intellectus differat, Judicare enim non eſt percipere, ſed eſt aliquid illi ſuperadditum, et formâ ab eo diverſum, Judicium non poteſt non ad voluntatem pertinere. Præterea cùm de Rebus nonnullis judicium feram, de alijs non, talis diverſitas à voluntatis operatione neceſſario provenit. Nam quamvis propter evidentiam, ſæpiùs aliter judicare non poſſum, quàm judico (quia *Voluntas* in falſum, quà tale, ferri non poteſt, at id fieret, ſi quod evidens eſt, falſum eſſe judicaret) tamen à judicandi actione me temperare poſſum. Huic addi poteſt, quòd bene vel male judicando, bene agitur, aut peccatur; ergo libere et Facultate electiva bene vel male judico; manat itaque à voluntate *Judicium.* Intellectio autem neceſſaria eſt, et Idearum perceptio tam parum Intellectui libera eſt, quàm *Speculo* objectas Imagines recipere, et ideo Intellectione proprie dicta error non committitur, quia Facultate electiva Intellectus deſtituitur.

XVI. Directa Cognitio nobilior eſt, quam per Syllogiſmorum ambages acquiſita.

Inter mentis noſtræ operationes, directa illa, quam Simplicem et *Apprehenſivam* nominamus, nobilior videtur, quàm quæ per Syllogiſmorum ambages comparatur: Hæc ſiquidem ſæpiùs fallax eſt, et obſcura, cùm è diverſo illa ſemper certa eſt, et ad ſimplicitatem

tatem magis accedit; ideoque *Deo* et Angelicis Spiritibus adſcribitur. Et quamvis præſtet per *Ratiocinium* ad multarum Rerum cognitionem pervenire, quàm per directam illam et ſimplicem perceptionem paucà tantùm cognoſcere; *Directa* tamen et prima perceptio, quæ abſque Syllogiſmorum ſubſidio perficitur, inſignior ac perfectior eſt; ac longè felicior foret Hominis conditio, ſi ea, quæ per Ratiocinationem comperta habet, ſimplici et *intuitiva* Cognitione perſpiceret. Unde fit ut prima *principia*, et quæ per ſe nota ſunt ita Intellectum et Judicium afficiant, ut cùm velimus, de ijs dubitare non poſſumus: quia non poſſumus, quin de ijs cogitemus: At de illis cogitare non poſſumus, quin ea vera eſſe credamus: igitur de ijs dubitare non poſſumus.

XVII. In omni Cogitatione conſcientia requiritur.

In omni vera ac propriè dicta Cognitione, *Conſcientia* involvitur. Talis enim eſt Animæ noſtræ indoles, ut nulla vi prædita ſit, cujus non ſit conſcia, ſive quam in ſe non experiatur, dum eam exercet. Quia aliud non eſt Subſtantia Cogitans, quam Res, quæ eorum omnium, quæ in ipſa fiunt perceptionem habet, ſive ipſa illa producat, ſive illa à cauſa extranea patiatur, idque eo præciſè tempore, quo peraguntur. Unde illud tanquam veriſſimum deducitur, quòd quicquid in nobis fit, cujus conſcij non ſumus, id *Spirituale* non eſt, et quicquid neque directè, neque indirecte à Cogitationibus noſtris non pendet, nobis planè alienum eſt ac peregrinum. Contradictionem enim implicat, dicere, rem *Intellectualem*, dum exiſtit, non ſemper cogitare, cùm Intellectualis natura aliud non ſit, quàm

quàm ſubſtantia, quæ percipit, quicquid in ea contingit, ſive agat, ſive patiatur. Neque id de Cognitione *Reflexa* tantùmmodo, qua Cogitationis meæ Conſcientiam habeo, qua me aliquid animadvertiſſe deprehendo, intelligendum eſt, ſed de *Prima* quavis Intellectione, per quam quippiam attendo. Actu enim ipſo cogitantes, etiam cogitare nos conſcij ſumus, alias Cogitatio non eſſet.

XVIII. Id authoritate Auguſtini confirmatur.

S. Auguſtinus libro de libero Arbitrio, *Evodium* inſtruens, quo pacto Anima Humana, nova cognitione imbuatur, ſive res, quæ foris ſunt, exploret, non earum notitiam duntaxat illi attribuit, ſed et ſuæ operationis, per quam illas perſpectas habet. "Namque, ait, "aperire oculum, et movere adſpiciendo ad id, "quod videre appetit, nullo modo poteſt, "niſi clauſo oculo, vel non ita moto, ſe id "non videre ſentiret: Si autem ſentit, ſe "non videre, dum non videt, neceſſe eſt eti-"am ſentiat ſe videre, dum videt. Enimuero ſi ad Ea, quæ in Anima noſtra occurrunt, attentos nos præſtemus, nempe quod Intellectualis notitia, quam de ſe Cogitante habet, primæ ſit Certitudinis, ſive indubitatum ſit, quod illa cogitet; fieri non poteſt, ut non ſit eorum omnium conſcia, dum cogitat, neque ei Cogitatio aliqua obvenire poteſt, quam non experiatur, non percipiat, ſive illius non ſit *conſcia*.

XIX. Conſcientia eſt a Cogitatione inſeparabilis.

Etenim *Conſcientia* adeò Menti eſſentialis eſt, et intrinſeca, ut quamvis de cæteris Dubitatio obrepat, ipſa tamen *Cogitatio* in dubium nunquàm revocari queat, quod nempe neceſſe ſit dubitantem ipſum immo et errantem cogi-

cogitare. Eſt enim Cogitatio præcipium Humanæ Mentis attributum, Immò Eſſentia; nam ſi vult, cogitat, ſi non vult, cogitat, ſi imaginatur, cogitat, ſi ſentit, cogitat, ſi meminit, aut reminiſcitur, cogitat, ſi judicat, ſi ratiocinetur ſimiliter cogitat. "Anima enim, "ut loquitur *Verulamius*, ſive à Senſu moni- "ta, ſive ſibi per miſſa, ſive in Functionibus "Intellectus, ſive Affectuum, et voluntatis, "ad modulationem Cogitationum ſaltat. *Libro ſecundo de Augment. Scient.* Cùm igitur Anima ſibi conſcia eſt, in ea perceptione decipi non poteſt, judicando ſcilicet, ſe Cogitationis alicujus *conſciam* eſſe, et ut in ea tamen Cogitatione circumveniatur, ſivè fallatur. Quia etiamſi menti noſtræ varia effingere Judicia contingat, nunquam tamen ita illuditur ut cùm ſe percipere ac intelligere judicet, tunc non percipiat, atque intelligat; quandoquidem talis *Cogitatio* ab ipſa mente, et in mente ſemper perficitur; cùm nullatenus fieri poſſit, ut cùm quippiam me agere, aut pati judico, talis Cogitatio menti meæ non obverſetur; quamvis contingere queat, ut nonnunquam uſu venit, me nihil agere aut pati, ſive ut tunc non quicquam faciam, nec Corpus meum à vi peregrina commoveatur.

XX. Qui conſcientia carent, Cogitatione quoque deſtituuntur

Itaque cùm ad Rei cogitantis naturam ac conſtitutionem pertineat, quod eorum omnium, quæ in ipſa fiunt, ſit *conſcia*, oritur, quod mente rebus aliis conſiderandis vehementer intenta, ſæpe *Hominem* tranſeuntem nec videmus, etſi aperti ſint oculi, nec ejus vocem audimus, licet et Aures pateant, nihilque obſtet, quominus Sonus ad nos deferatur. Quinimo

imo docuit Experientia, quoties Mens vel *Extaſi*, vel alia contemplatione diſtracta, velut extra Corpus ponitur, hoc totum torpidum ſine Senſu ſtupere, quæcumque etiam res admoveantur. Quia cùm neutrius ſimus conſcij, *Senſu*, qui ex paſſione ortum habet, deſtituimur. Pari modo de *Dolore*, aliove Affectu loquendum eſt, qui enim Dolorem ſentire ſe non animadvertit, is Dolorem non ſentit, et qui de Dolore non cogitat, ſe ſentire non animadvertit, quia omnis Cognitio Cogitatio eſt.

XXI. Conſcientia eſt operatio mere incorporea.

Ex dictis hoc *Poriſma*, ſive conſectarium rectè deduci poteſt: *Conſcientiam*, cùm ſit immanens ſubſtantiæ Cogitantis actio, eſſe operationem planè ſpiritualem, et Intellectionem ſtrictiſſimè dictam; quià mens in ea, non ſpeciem, ſeu Imaginem contemplatur: *Doloris* enim perceptio, exempli cauſa, non Imaginatione, ſed Intellectu duntaxat apprehenditur, et in operatione ſeipſa tantummodo utitur, nullius rei alterius indiga: Quod quivis, quomodo operationem iſtam exſerat, explorando, cognoſcere poteſt. Nam etſi corpore deſtitutus imaginari, exempli cauſa, aut ſentire non valeam, illa tamen Mentis *actio*, qua Imaginationis, aut Senſationis conſcius ſum, planè incorporea eſt, et ſpiritualis: Sic *Somnia* non abſque ſpeciebus peraguntur; ſed actio illa Mentis, qua conſcij ſumus nos ſomniare, aut aliqua ſecundùm quietem vidiſſe, omnino ſpiritualis eſt: Et tam aperte Actionis *Spiritualitas* in hac Cogitationis ſpecie, quàm in actione voluntatis ſe prodit. Itaque quamvis multas res corporeas

reas cognoſcamus, Cognitio tamen qua Corporalia cognoſcimus, quatenus Conſcientiam involvit, planè ſpiritualis eſt, et verè Cognitionis nomen meretur.

Præter Conſcientiam, ſive Animadverſionem illam, qua aliquid attendimus, aliud in Cognitione obſervandum eſt, *id* nimirum, quod obſervari dicitur, ſive illud quod à mente noſtra immediate percipitur, quod Philoſophi etiam recentiores non tam Conceptus, Notionis, verbi mentis, aut alterius cujuſvis, quàm *Ideæ* nomine deſignant. Quippe ſi vocabuli hujus, *Idea*, etymon attendamus, apparebit nihil aliud eo ſignificari, quàm Latinorum voce *Species*, (niſi quod hæc magis ambigua) quæ eſt ab antiquo, *Specio*, id eſt video: et cùm animo videre, ſeu Cogitatione quippiam aſſequi, illo nomine potius, quàm Conceptus, notionis, verbi mentis nomine, Metaphyſici utuntur, illam in *Archetypam* et *Ectypam* dividunt, ad rem nondum exiſtentem, ſed faciendam, aut jam factam, aut à ſe exiſtentem ſignificandam. XXII. Ideæ etymon.

Nonnulli *Ideas* cum Speciebus corporeis, quæ Imaginationi et Senſibus famulantur, confundunt, cum tamen illæ aliud non ſint, quàm Impreſſio, ab objecto interno, aut externo, in *Senſuum* organis internis et externis facta, cujus occaſione, Cogitatio, aut Senſus, quem de ea habemus, in mente excitatur. Quamvis apud eos nondum probè conſtet, an talis Impreſſio aliud non ſit, quàm mutatio ab Objecto curſui ſpirituum animalium illata, aliquos ventriculorum *Cerebri* meatus aperiendo, ad quod Nervorum fibræ pertinguntur, in- XXIII. Idea non eſt Species Corporea.

quos objectum agit; an vero Species istæ exiguæ sint *Imagines*, quibus utitur Mens nostra, ad concipiendum Objecta, quæ *Sensus* nostros percellunt, et quarum ope, omnes nostras perceptiones formari existimant. Cum talibus autem nihil nobis est negotii, sed cum jis tantùm, qui *Ideæ* nomen ad intellectuales illas notiones transferunt, quas mens nostra in conceptibus formandis contemplatur.

XXIV. Ideæ Definitio et natura.

Igitur nomine *Ideæ* intelligimus illam cujuslibet Cogitationis formam per cujus immediatam perceptionem, ipsius ejusdem Cogitationis conscii sumus: adeo ut nihil verbis exprimere possumus intelligendo id quod dicimus, quin ex hoc ipso certum sit, in nobis esse *Ideam* ejus, quod verbis illis significatur. Unde patet quòd non solas *Imagines* in phantasia depictas *Ideas* vocamus: immo ipsas nullo modo vocamus *Ideas*, quatenus sunt in phantasia corporea, hoc est, in parte aliqua Cerebri depictæ, sed tantùm quatenus Mentem ipsam in illam *Cerebri* partem conversam informant. Non est igitur *Idea* pura Rei Imago, simplex pictura, similitudo, aut quippiam aliud à mente nostra effictum; sed *res ipsa concepta et intellecta*; per quam Intellectionem res dicuntur esse objectivè in Intellectu. Quis enim nescit Imaginem non esse ipsam rem, nec eandem revera essentiam ac vim habere; est interim *Idea* vice Rei, ut per illam Cognoscamus Rem, quasi esset ipsa Res. Unde *Durandus* in 1°. *Dist.* 36. *q.* 3. Ideam rei definit esse *Ipsam Rem secundum esse cognitum.* Et *Carteſius* in Dissertatione de Methodo, in Margine: *Nota*, inquit, *Hoc in loco, et ubique*

que in ſequentibus, nomen Ideæ generaliter ſumi pro omni Re cogitata, quatenus tantum habet eſſe quoddam objectivum in Intellectu.

XXV. Opponitur eſſe objective in intellectu, eſſe tantum denominationem extrinſecam.

Si opponas; *eſſe objective* in Intellectu, aliud non eſt, quàm ipſum actum Intellectus, ut loquuntur in Scholis, per modum objecti terminare, quod eſt tantum denominatio extrinſeca, et nihil rei: Nam ſicuti videri, exempli cauſa, aliud non eſt, quam *Viſionis* actum in me tendere: pari modo cogitari, aut objectivè eſſe in Intellectu, eſt mentis Cogitationem terminare ſive ſiſtere, quod Re immota, atque immutata, quin et non exiſtente, fieri poteſt.

XXVI. Satisfit objectioni.

Reſpondeo, ſi quis ad rem ipſam, tanquam extra Intellectum poſitam attendat, ea ratione eſt Denominatio extrinſeca, quòd ſit *objectivè* in Intellectu: Nos autem loquimur de *Idea*, quæ nunquam extra Intellectum exiſtit, et cujus ratione, eſſe objectivè nihil aliud ſignificat, quàm eſſe in Intellectu, eo modo, quo Objecta in illo eſſe ſolent. Ita, exempli gratia, ſi quis quærat, quid *Soli* accidat ex eo quod ſit objectivè in meo Intellectu; optimè reſpondetur nihil ei accidere niſi extrinſecam denominationem, quòd nempe operationem Intellectus per modum Objecti terminet: Si autem de *Idea Solis* quæratur quid ſit, et reſpondeatur, illam, eſſe Rem cogitatam, quatenus eſt objectivè in Intellectu, Nemo intelliget illam eſſe ipſum *Solem*, quatenus in eo extrinſeca illa denominatio eſt: Neque ibi, *Objective* eſſe in Intellectu, ſignificabit ejus operationem per modum objecti terminare, ſed in Intellectu eo modo eſſe, quo ſolent

ejus objecta, adeò ut *Idea Solis*, ſit Sol ipſe in Intellectu exiſtens, non quidem formaliter, ut in Cœlo, ſed objectivè, hoc eſt, eo modo, quo objecta in Intellectu eſſe ſolent; qui ſanè eſſendi modus longe imperfectior eſt, quàm ille, quo Res extra Intellectum exiſtunt, ſed non planè nihil eſt. Quia etiamſi cauſa non indigeat, ut extra Intellectum exiſtat, cauſa tamen indiget, ut concipiatur.

XXVII. Duæ realitates in qualibet Idea conſiderandæ.

In omni *Idea* duplex realitas, ſeu perfectio conſideratur, una *Formalis*, ſive propria, quatenus eſt mentis operatio: Altera *objectiva*, ſive vicaria, quatenus eſt Rei cogitatæ Repræſentatio: quas Metaphyſici vocant conceptum Formalem et Objectivum. Quatenus Ideæ illæ à mente noſtræ fiunt, ſuntque ejus *operationes*, ſunt omnes inter ſe æquales, nec ulla inter eas diverſitas eſt agnoſcenda, ſunt enim tantùm ſimplices cogitandi modi, et omnes eadem ratione à Mente mea promanant: Quemadmodum omnes ductus et lineamenta ab eodem pictore exeruntur, ſive *Leonem*, ſive *capram* ad vivum depingat. Quatenus autem Ideæ illæ, alio atque alio Mentis conceptu continentur, longè ſunt inter ſe diverſæ. Alia enim eſt conceptus mentis forma, quæ *Deum*, alia quæ *Cœlum*, alia quæ *Terram* mihi repræſentat. Nam procul dubio, Idea illa quæ *Subſtantiam* mihi exhibet, majus aliquid eſt, atque ut ita loquar, plus realitatis Objectivæ in ſe Continet, quàm illa, quæ tantùm *modum* ſive Accidens repræſentat. Et rurſus illa, per quam ſummum Ens aliquod, ſive *Deum* Æternum, Infinitum, Omniſcium, Omnipotentem, rerumque omnium, quæ præter ipſum ſunt, Creatorem intelligo, profecto plus realitatis

alitatis objectivæ in ſe continet, quàm illa per quam finita duntaxat ſubſtantia mihi exhibetur.

XXVIII. Idea ſecundu n vtramque ſuam perfectionem eſt aliquid.

Idea ſecundùm utrumque eſſe ſuum, proprium ſcilicet et vicarium, eſt aliquid; eſt enim ipſiſſima Intellectus operatio repræſentans ſibi rem contemplandam: ſive realis mentis Actio: nec putem id ab ullo poſſe in dubium vocari. Sed et Secundùm *eſſe vicarium*, Ideam eſſe aliquid evidenter etiam conſtat. Quippe per quod *Idea* maxime ab altera diſtinguitur, illud aliquid reale eſt in ipſa Idea, aliàs tantum inter illas diſtcrimen efficere non poſſet: Verum inter *Ideas* quædam excelſæ ſunt et ſublimes dicuntur, aliæ Humiles et plebeiæ, quatenus nimirum tales aut tales Res repræſentant. Quid enim eſt Idea *Rei*? Nimirum Idea quæ ab omni alterius Ideæ conſortio, ita abſolvitur, ut non ſolùm formari poſſit, alia non formata, ſed etiam illæſa, de alia Idea negari. Quid antem eſt Idea *Modi*? Idea ejus, quo aliquid eſt: ſcilicet Idea, quæ inſtar appendicis cum aliqua principali Idea, tanta neceſſitudine connectitur, ut nequeat non ſolùm Idea principali negata, ſtare, ſed etiam ſine principali Idea formari. Annon Rei Idea nobilior perfectiorque eſt, quàm Idea modi? ut exempli cauſa, Idea *Mentis* et Idea *Corporis*, quæ non ſolum poſſunt ſine ſeſe invicem formari, ſed etiam abſque ullo detrimento, de ſe inuicem negari; quàm Idea *Modi*, exempli cauſa, *Figuræ*, quæ inſtar appendicis cum Idea corporis ita cohæret, ut non poſſit non modò Idea corporis negata ſtare, verùm etiam abſque ipſa Corporis Idea formari?

ri? At si nihil in Idea, quam de Re habemus, reperiatur, quomodo una est altera perfectior? nihil enim à nihilo non differt, neque per se, neque per aliud. *Immò* quod rectè notat *Burgersdicius* Inst. Met. L. 1. c. 3. *Ubi nihil à nihilo differre incipit, per connotationem entis, tunc nihil desinet esse nihil, et aliquid fit.*

XXIX. Non est eadem prorsus natura in Idea, quæ in objecto.

Cum igitur cogitando res quaslibet nobis præsentes sistamus, easque in nobis ipsis ita repræsentemus, ut Intellectus noster intelligendo, quodammodo *fiat omnia*, ut loquitur *Aristoteles*, non est tamen necessarium ut eadem prorsus in Conceptu seu Idea insit natura, ac quæ in objecto consideratur. Nam quamvis res significatæ menti nostræ repræsentari dicantur, ipsæ tamen revera, extra Cogitationem nostram manent, secundum esse suum *proprium*, nec aliter mente et Cogitatione attingantur, quàm objecta à Facultate, quæ circa ea versatur, attingi solent, et possunt. Nam præter istum attingendi modum Objectivum inter Rem intelligentia præditam, et Res quæ extra eam sunt, nulla alia præsentiæ, vel conjunctionis ratio inuenitur; nisi quod tanto propriùs objecto, quod menti per Ideam præsens est, nos jungi sentiamus. Unde pro ratione hujus entitatis *Objectivæ*, quatenus eam in mente nostra obtinent, vel accipiunt, vel amittunt, Res dicuntur mentem occupare, venire in mentem, in considerationem, sub intelligentiam cadere, Res capere, *&c.*

XXX. Aliud est esse objective, et aliud esse subjective in Intellectu.

Enimuero aliud est aliquid esse in nostro Intellectu *objective*; et aliud esse *subjective*; Exempli causa, dum de Deo cogito, Infinitum est in mente mea objectivè, sed nihil in ea est subjectivè,

ſubjectivè, quin ſit finitum. Et licet quid poſitivum ſit in mente mea, quòd de Deo cogitet, ac tale ac tantum objectum ſibi repræſentet, non tamen eadem prorſus in Idea, quæ in objecto eſt, natura. Primò; quia objectum et Idea in ſoliditate diſcrepant, et alium habent exiſtendi modum, Res enim extra Intellectum, Idea vero non niſi in Intellectu verſatur. Mirum certè quod *Solem* concipiendo, non Solis Ideam, ſed Solem ipſum mente complectamur. Præterea, nullus Philoſophorum, quod ſciam, per objectivam Ideæ realitatem, ipſam rei naturam abſolutè unquam intellexit, ſed rei repræſentatæ entitatem, quatenus eſt in *Idea*. Nam quæcumque percipimus, tanquam in Idearum objectis ea ſunt in ipſis *Ideis*, ſive objectivè in Intellectu. Sic ut res concepta habeat quidem extra mentem noſtram Eſſe, ut vocant, *Naturale*, in Intellectu autem *Notionale* et repræſentativum.

XXXI. Triplicis generis ſunt Ideæ, et primum quid Innatæ.

Ab Ideæ natura et definitione, ad ejuſdem Diviſionem pergendum eſt; ſoepe enim contingit, ut ex uno ſimplici *Conceptu*, rem bene intelligere nequeamus. Triplicis generis Ideæ numerantur, Innatæ, Adventitiæ, et Factitiæ. *Innatæ* vocantur, quæ Mentibus noſtris ſtatim ab ortu Divinitus impreſſæ ſunt. Per illam autem *Impreſſionem* id non intelligimus, quaſi actu, atque reipſa Ideæ illæ menti obverſentur, ſed quòd Facultas Homini à Deo conceſſa ſit, tales Conceptus formas, abſque Idearum aliarum præſidio eliciendi, et excitandi ſeu Exerendi. Sic me ipſum cognoſcens eſſe Subſtantiam, mei ipſius Subſtantiæ *Ideæ* ope, poſſum in aliarum Subſtantiarum notiti-

am pervenire. Eodem modo ex cognitione mei, cognoſcens quid ſit *Res cogitans* et *Spiritus*, aliarum ſubſtantiarum Intellectualium cognitionem aſſequi poſſum. Et tales Ideæ ad aliarum rerum notiones comparandas, ſunt neceſſariæ. Niſi enim talis eſſet mentis Humanæ conditio, ut quarumlibet Rerum *Ideas* ex ſemet ipſa formare poſſet, nihil intellectu conſequi poſſet. Nam nihil ad Rerum cognitionem Senſus conferunt, quàm ut *veſtigia* in Cerebro imprimendo, Animæ occaſionem præbeant, hanc illamve Cogitationem, ſive *Ideam*, ex ſemet ipſa depromendi. Unde nego Hominem à natura Cæcum, *Lucis* et *Coloris* Ideam habere non poſſe: quia licet quid ſit lux, quid color *Senſualiter* cognoſcere non poſſit, eorum tamen eſſentiam apprehendere omnino poteſt. " Quid enim eſt, inquit *Auguſtinus* libro Secundo de libero Arbitrio, " cùm dubitemus mentem *ingenitis* rationibus " quaſi numeris quibuſdam, qui nec loco tumi- " di ſunt, nec tempore mutabiles, inſtructam " fuiſſe? Quemadmodum enim Artifices in " Arte habent numeros, quibus coaptant ope- " ra ſua, et tamdiu manus, atque Inſtrumen- " ta movent, donec illud quod formatur fo- " ris, ad eam, quæ intus eſt, lucem numero- " rum relatum, quantum poteſt impetret ſolu- " tionem, placeatque per Interpretem Sen- " ſum interno Judici ſupernos numeros intu- " enti.

XXXII. Quo Senſu dicuntur Ideæ innatæ.

Verùm perversè illi *Carteſii* mentem interpretantur, qui Idearum Innatarum Nomine, ab eo intelligi volunt, quaſdam Rerum Imagines, et veluti characteres Mentibus noſtris in-

inſculptos: Cùm nihil aliud velit ille, quàm quòd à bonorum omnium Largitore Deo data ſit facultas ſeu potentia, rerum plurimarum notiones efformandi. Sic enim ipſe loquitur in Reſponſione ad Tertias objectiones: *Denique cum dicimus Ideam aliquam nobis eſſe innatam, non intelligimus illam nobis ſemper obverſari, ſic enim nulla prorſus eſſet innata, ſed tantum nos habere in nobis ipſis facultatem illam eliciendi.* Et tales eſſe cenſet Ideas *Dei*, *Mentis*, *Corporis*, *Trianguli*, et generaliter omnes, quæ aliquam veram, et immutabilem, et æternam eſſentiam habent. Et alio in loco, dicit Dei Ideam nobis eſſe *ingenitam*, ad eum Modum, quo innatam dicimus quibuſdam Familiis eſſe *generoſitatem*, et Aliis *Calculum*, aut *Podagram*: non quòd ideò iſtarum familiarum Infantes, Morbis iſtis in Matris utero laborent, ſed quòd, cum quadam diſpoſitione, ſive Facultate ad illos contrahendos naſcantur, et in lucem prodeant. Ad tales Ideas refertur Idea *Dei*, quæ in nobis oritur, non à Senſu, non ex Doctrina, aut Inſtitutione hauſta, non aliarum Cogitationum ſubſidio, non ex noſtro arbitrio fabricata, ſed *Innata*, et Animo noſtro infixa. Quamvis non abnuam Facultatem noſtram Naturalem, Dei Ideam in nobis excitandi, rerum prædictarum occaſione, ad cogitandum de Deo, et ad conceptum de Deo formandum moveri poſſe.

XXXIII. Quæ ſunt Ideæ Adventitiæ.

Adventitiæ vocantur Ideæ, quæ à Rebus externis, quæ continuata Annorum ſerie, ſeu temporis ſucceſſu, Menti noſtræ ſuperveniunt. Talis eſt Idea, quam habemus, dum *Solem* intuemur; dum Campanæ *Strepitum* auribus excipimus;

cipimus; dum Ignis particulæ in Corpus noſtrum impingunt. Nam ſicuti quæ ſenſu aliquo attingimus, Corpora, prout *figura*, vel *motu*, aut *quiete* afficiuntur, Corpus noſtrum commovent; ita Corpus noſtrum, quatenus iiſdem modificationibus ſubjicitur, Mentem noſtram *Adventitia* Idea afficit. Quæ inde nomen ſortita eſt, quod experiamur res quaſdam extra nos poſitas efficere, ut hoc tempore potius, quàm alio, Cogitationes, ſive *Ideas* Animo præſentes habeamus, et ita non ſunt omnes noſtræ Ideæ ingenitæ.

XXXIV. Quid Factitiæ.

Factitias Ideas nominamus, quas Humana Mens ex ſimilitudine, quæ multis rebus interuenit, effingit, quas nullis unquam corporis noſtri ſenſibus hauſit, ſed quas ipſa per Compoſitionem vel Diviſionem effecit. Immo multarum Rerum Ideas fabricare poſſumus, quæ non exiſtunt, neque fuerunt, immo quæ neque futuræ ſunt. Ut cùm poetæ *Cerberum* imaginantur tricipitem, *Gygem* centimanum, *Chymeram* flammas Evomentem, et quam comminiſcuntur habere pectus Leonis, ventrem Capræ, et caudam Draconis. Quæ Cogitationes *Fictitiæ* nuncupantur, non cum ſingulas partes, ſed earum complicationem attendimus.

XXXV. Ut Factitiæ Ideæ ab Innatis diſtinguuntur.

Quomodo autem *Factitiæ* Cogitationes, ab alijs diſtinguantur, obſervandum eſt quaſdam *Ideas* continere veras et immutabiles naturas, et quaſdam, ut jamdictum eſt, Fictitias eſſe, et ab Intellectu, pro noſtro arbitrio conflatas; quæ inde cognoſcuntur, quod à mente non ſolum per Intellectus abſtractionem, ſed per claram et diſtinctam Intellectus operationem diviuntur, et quas Intellectus ita partiri potis

non

non eſt, non eſſe ab eo compoſitas, ac proinde veras eſſe naturas ac immutabiles. Hujus generis ſunt *Homo Cogitans*, *Mons cum valle*. Nam etiamſi per Intellectus abſtractionem, de Homine cogitare poſſim, non Cogitans de eo quod ſit ſubſtantia Cogitans; et quamuis de *Monte* cogitare poſſum, non cogitans de *Valle*, non poſſum tamen per claram et diſtinctam Intellectus operationem, Hominem à Cogitatione, et Montem à *convalle* diſtinguere ſive ſeparare; Et quæ ſic dividere Intellectus non poteſt, procul dubio non fuerunt ad ipſo compoſita.

XXXVI. Exemplis oſtenditur.

Prioris generis ſunt *Mons aureus*, *Equus alatus*, *Triangulus Quadrato inſcriptus*: poſſum enim per claram et diſtinctam Intellectus operationem, *Aurum* à Monte ſejungere; et facilè intelligo me cogitare poſſe Equum non alatum, et Triangulum ſine Quadrato; ac proinde illa non habent veras et immutabiles naturas. Si verò Triangulum, vel Quadratum cogito, tunc certè quæcunque in Idea *Trianguli* contineri deprehendo, ut quod tres ejus Anguli ſint æquales duobus rectis *&c*, de *Triangulo* cum veritate affirmo; et de *Quadrato* quicquid in ea Quadrati Idea reperio. Præterea, ſi *Triangulum* conſiderem Quadrato inſcriptum, non ut ea quæ ad ſolum Triangulum Quadrato inſcriptum ſpectant, *Quadrato* tribuam, vel *Triangulo* ea quæ pertinent ad Quadratum, ſed ut ea tantum examinem, quæ ex utriuſque nexu exurgunt, non minus vera et immutabilis erit ejus natura, quam ſolius Quadrati vel Trianguli, atque ideo affirmare licebit, *Quadratum* non eſſe minus duplo Trianguli illi inſcripti, et ſimilia, quæ ad compoſitæ hujus

Figuræ

Figuræ naturam pertinent. Si verò in *Corporis* Idea exiſtentiam neceſſariam conſiderem, inde concludere non poſſum Corpus quantumvis perfectum exiſtere, ſed poſſe dumtaxat exiſtere: ſatis enim animadverto *Ideam* iſtam eſſe ab ipſomet Intellectu conflatam, exiſtentiamque ex alijs corporeis perfectionibus non exurgere, quoniam de illis pari jure negari poteſt, atque non negari.

XXXVII. Origo Cognitionis noſtræ Secundum Scholaſticos.

Ijs de *Cognitionis* Natura, de Ideis, earumque Affectionibus, ac etiam Diviſione, obiter, et quantum ad præſens Inſtitutum ſpectare videtur, præmiſſis, ad rem ſuſceptam progrediendum eſt, eademque brevitate inquirendum, unde *Cognitio* noſtra oriatur, ſive à quibus Cauſis pendet, ut Humana Mens tot tamque varias ac multiplices res ſibi repræſentet. Scholaſtici, ſive quorum doctrina longo tempore eſt in Scholis tractata, omnem noſtram Cognitionem *Senſibus* acceptam referunt, ſic ut per exteriora Corporis organa, in Animum Cogitationes noſtræ deferantur, immò illi ſoli ſint, qui veluti Animæ *Nuntii*, quæ foris ſunt, et aguntur, ei inſinuent et deferant. Unde *Tactum* nobis à natura tributum eſſe aiunt, quod per omnia Corporis noſtri membra diffuſus, toti Homini conſulat. Mobiles eſſe *Manus*, et in omnia paratas, ne ex ijs quæ occurrunt, quippiam immune, quod ei adeſſe poſſit, elabatur. *Aures* continuò patere, ad omnia, quæ foris perſtrepunt, quæ Corpori aut amica, aut noxia eminent, excipienda. Binos eſſe in Capite *Oculos*, tanquam in ſpecula locatos, ad objectorum ſpecies, ad Hemiſpherii terminos uſque, explorandum. Omnes denique *Senſus* Animæ eſſe *Satellites*, quibus

quibus illa omnia obſervat et ſpeculatur. Hinc ut irrefragabile habent illud *Ariſtotelis* effatum, *Nihil eſt in Intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu.* Quod eo facilius fidem apud Eos inuenit, quòd à familiari Infantiæ judicàndi modo habuerint, quòd per Rei ſimilitudinem, aut abſentiam ſub ſenſum cadentis, alia quælibet mente conciperent. Propterea *Senſualis* perfectiſſima illis ſemper viſa eſt, adeò ut eo, quod ſuis *Oculis* videant, vel *Auribus* audiant, nihil verius ac certius eſſe poſſe judicent.

XXXVIII Quid ſentiant Epicurei de Cognitionis noſtræ origine.

Epicurei, quos inter *Gaſſendus* et doctrina, et Eruditione eminet, omnem quidem Cognitionem à ſenſibus dependere cum *peripateticis* contendunt, Animamque noſtram in ſuo exortu, omni notione carere; quæcunque autem in ea gignitur, volunt ab aliquo iſtorum modorum parari; vel *incurſione*, ſeu incidentia, dum res per ſeipſam incurrit in Senſum, vel *Proportione* dum menti hærens notio, amplificatur, aut, extenuatur. *Similitudine*, dum inſtar rei alicujus, à ſenſu priùs perceptæ, aliam fingimus. Demum *Compoſitione*, dum quas duarum aut plurium Rerum diſtinctas habemus Ideas in unam quaſi compingimus. Hinc apud illos tritum Axioma, *Intelligentem oportet ſpeculari phantaſmata.* Ipſis enim videtur, quòd Humana Mens, dum Corpori connexa eſt, Res aliter apprehendere non poſſit, quam adhibito *Senſuum* miniſterio. Secus ſi fieret, quæ in ea excitarentur *Ideæ*, à Corporis motionibus, non penderent; quo in caſu mentis cum corpore organico Nexus periret, cùm tamen talis ſit, ut citra mutuam Actionem et paſſionem utriuſque, intelligi non queat.

Carte-

XXXIX. Quid in Cognitione comparanda obſervandum præcipit Carteſius.

Carteſiana Philoſophia, quemadmodum ubique præcipit, ut in ea nihil credatur, de cujus veritate evidens Ratio mentem noſtram non convincat; poſtulat ab initio ut omnis præconcepta *Opinio* ac Imaginatio, quam mens noſtra à teneris, præſertim quoad Res Corporeas adoptavit, ſimul atque ſemel deponatur et abjiciatur. Exempli gratia, *Terram* non rotundam, ſed planam eſſe; illam Sole eſſe majorem: *Solem* et *Lunam* fermè magnitudine pares eſſe, *Aerem* eſſe ſpatium inane &c. Hæc Philoſophia præcipit, ut Sapientiæ indagator, non illico admittat, quæ primo aſpectu menti *Senſus* externi objiciunt, ſed quæ *Mens* ipſa, prævia accurata deliberatione, vera eſſe deprehendit. Et ſic non veteri fundamento, ſed novo et expurgato inædificat, et omnia ruinoſa removet. Injungit inſuper ne *Sapientiæ* Studioſus, aliquid tanquam clarè et Philoſophicè verum aſſumat, quiſquis etiam celeberrimorum Virorum illud edixerit, quod non priùs intelligat, et validiſſimis Argumentis demonſtrare poſſit: Neque *Senſibus* externis priùs, aut plus fidei habeat, priuſquam ſatis comprehenderet, quouſque illis fidendum, et in quibus fallant, aut non. Talem introitum habet Philoſophia Carteſiana, nec ullum alium actum admittit, quam ut in rebus Philoſophicis, id eſt, ijs quæ ex lumine naturæ cognoſci debent, nihil Unquam tanquam verum admittatur, niſi priùs rectè et ſolidè intellectum fuerit, illud ita ſe habere.

XL. Ordo dicendorum.

Cùm ambo Peripatetici et Epicurei aſſerant Cognitionem omnem noſtram à Senſibus initium ducere, operæ pretium eſt inquirere,

primo

primò, quid ſint Senſus, qualeſque in ſua Natura, ac conſtitutione. *Secundò*, quem in finem nobis conceſſi ſint, quidque utilitatis ad vitæ uſum conferunt. *Tertiò*, num Rerum naturas nobis detegant, et idonea ſint veritati inveſtigandæ inſtrumenta. *Quartò*, An ad res ſpirituales et incorporeas cognoſcendas aliquid conferre poſſint. Et *Ultimò*, num ſaltem nos ad Rerum materialium et corporalium notitiam deducere ad ipſos pertineat.

XLI. Quid ſint Senſus et quomodo fiant.

Quantum ad primum, de Senſuum *Natura*, ſeu Indole, Sciendum eſt, Humanam Animam, etſi totum Corpus informet, præcipuam tamen ſedem ſuam habere in *Cerebro*, in quo ſolo non modo intelligit, et imaginatur, ſed etiam ſentit, id eſt, et motum inchoat ſive imperat, et exſequitur; hocque opere *Nervorum*, qui filorum inſtar, à Cerebro ad omnia reliqua membra protenduntur, iiſque ſic annexi ſunt, ut vix ulla Humani Corporis pars tangi poſſit, quin hoc ipſo moveantur aliquot Nervorum extremitates per ipſam ſparſæ, atque earum motus, ad alias eorum Nervorum extremitates, in *Cerebro* circa ſedem Animæ collectas transferantur. Motus autem qui ſic in Cerebro à Nervis excitantur, *Animam*, ſive Mentem intimè Cerebro conjunctam, diverſimodè afficiunt, (ex ſolo ſcilicet Dei beneplacito, quemadmodum ex beneplacito Humano fit, quod voces hæ vel illæ hoc vel illud ſignificant) prout ipſi ſunt diverſi. Atque hæ diverſæ Mentis *Affectiones*, ſive Cogitationes, ex illis motibus, ſeu potius *occaſione* iſtorum Motuum, immediatè conſequentes,

quentes, Senſuum perceptiones, ſive ut vulgò loquuntur, Senſus appellantur. *Senſus* igitur aliud non ſunt, quàm perceptiones, quibus motus à Copore aliquo objecto, Nervorum fibrillis impreſſus, et in Cerebrum delatus, Senſorioque communi, mediantibus ſpiritibus communicatus, à Mente in Senſorio communi percipitur.

XLII. Tres gradus in Senſu diſtinguendi.

Ut hæc de Senſu in communi jam dicta diſtinctiùs pateſcant, tres quaſi gradus in ipſo ſunt diſtinguendi. Ad *primum* pertinet tantùm illud, quo immediatè afficitur organum corporeum ab objectis externis, quódque nihil aliud eſſe poteſt, quam *Motus* particularum iſtius organi, et Figuræ, ac Situs Mutatio, ex illo motu procedens. *Secundus*, id omne continet, quod immediatè reſultat in mente, ex eo quòd Organo corporeo ſic affecto unita ſit, taleſque ſunt perceptiones *Doloris*, *Titillationis*, *Sitis*, *Famis*, *Coloris*, *Soni*, *Saporis*, *Odoris*, *Caloris*, *Frigoris*, et ſimilium, quas oriri ex Unione et quaſi permiſtione Mentis cum Corpore, in nona parte *Inſtitutionis* meæ dictum eſt. *Tertius* denique, omnia illa Judicia comprehendit, quæ occaſione Motuum organi corporei, de Rebus extra nos poſitis, ab ineunte ætate facere conſuevimus. Et hic *tertius* et ultimus gradus, propriè non Senſus, ſed Rationis eſt, illa tamen Gradus in Senſu vocatur, quia vulgò illam mentis operationem *Senſibus*, non Rationi tribuunt. Ad primum Senſus gradum illud tantùm ſpectat, quo organum ab objectis afficitur, quique eſt nobis cum Beſtijs communis.

Hos

Hos tres gradus exemplo illuſtrabo. Cùm *Baculum* intueor, non putandum eſt aliquas ſpecies *Intentionales* ab ipſo Baculo, ad Oculum advolare, ſed tantùm Luminis *radios* ex Baculo iſto reflexos, quoſdam motus in Nervo Optico, et illo mediante, etiam Cerebro excitare, quemadmodum Philoſophus in ſua Dioptrica prolixè explicuit. Et hic eſt *primus* gradus Senſus, quem jam diximus Bruta Animantia cum Hominibus communem habere. Ex hoc *Secundus* ſequitur, qui ad ſolam Coloris Luminiſve ex Baculo reflexi, perceptionem ſe extendit; Oriturque ex eo, quod Mens Cerebro tam intimè conjuncta eſt; ut à *Motibus* qui in ipſo fiunt, afficiatur, et hic eſt *Secundus* gradus, Hominibus proprius, quique à Vulgo Senſus appellatur, et Senſu hauſtum quicquid hac ratione Mens de Rebus cognoſcit et judicat. Et in his duobus Senſus gradibus Falſitas nulla eſſe poteſt. Quod autem ex iſto *Coloris* Senſu (ut tertium gradum explicem) quo afficior, judico *Baculum* extra me poſitum eſſe coloratum, itémque quòd ex iſtius Coloris extenſione, terminatione, ac Situs revelatione ad partes Cerebri, de ejuſdem Baculi Magnitudine, diſtantia, et figura Judico, id *Rationi*, non Senſui ſimplici tribuendum eſt. Magnitudo enim, Diſtantia, et Figura per ſolam Ratiocinationem, unum ex altero ducentem, cognoſcitur.

XLIII. Hi tres gradus exemplo explicantur.

Ex quibus apparet, primum Senſus gradum aliud non eſſe, quam *Motum* particularum organi, et Figuræ ac Situs Mutationem, ex illo promanantem. Unde illud apud philoſophos vulgatum, *Objecta movent Potentiam.* Et *Ariſtoteles*

XLIV. Natura Senſus primi gradus in motu conſiſtit.

ſtoteles libro ſecundo de Anima, capite quinto, apertè docet Senſus omnes in Motione eſſe poſitos: *Fit*, inquit, *Senſus cum movetur, atque patitur aliquid.* Et libro tertio, contendit nullum Senſum abſque Tactu haberi poſſe, *Corpus enim Animalis omnis vim habet ſentiendi tangendo.* Cùm autem non niſi Corpore Corpus tangi queat, et id abſque Motu peragi non poſſit, patet Senſum aliud non eſſe, quàm localem *Motum*, et corporeum, ac proinde primum Senſus gradum, ſive Senſationem in hoc *Motu* Corpoream conſiſtere. Ea enim lege Mens cum Corpore juncta fuit, ut certos Cerebri motus, certæ itidem perceptiones ſubſequantur, et viciſſim. Quæ autem dicimus *Phantaſmata*, nihil ſunt quam Affectiones, aut Motiones quædam ab objectis profectæ, et in Cerebro exceptæ, quæ vix ullam habent cum objectis, aut, ipſis imaginibus, quas Mens cogitando depingit, ſimilitudinem.

XLV. Mentem eſſe talis Naturæ, ut a ſolo Corporis motu varii Senſus in ea excitari poſſint.

Talis enim eſt Mentis noſtræ natura ut ex eo ſolo, quod quidam *Motus* in Corpore fiant, ad quaſlibet Cogitationes, nullam iſtorum Motuum imaginem referentes, impelli poſſit; et ſpeciatim ad illas confuſas quæ *Senſus*, ſive Senſationes appellantur. Nam videmus *Verba*, ſive ore prolata, ſive tantùm ſcripta, quaſlibet in Animis noſtris Cogitationes et commotiones excitare. In eadem *Charta*, cum eodem calamo et atramento, ſi tantùm Calami extremitas, certo modo ſupra Chartam ducatur, literas exarabit, quæ Cogitationes *prœliorum*, *tempeſtatum*, *furiarum*, Affectuſque indignationis et triſtitiæ in lectorum Animis

Animis concitabunt; ſi vero alio ferè ſimili modo Calamus moveatur, Cogitationes valde diverſas, tranquillitatis, pacis, amœnitatis, Affectuſque planè contrarios amoris et Lætitiæ efficiet.

Reſpondebitur fortaſsè, *Scripturam*, vel *Loquelam* nullos Affectus, nullaſque rerum à ſe diverſarum, Imaginationes immediatè in mente excitare, ſed tantummodo diverſas *Intellectiones*; quarum deinde Occaſione, Anima ipſa variarum Rerum imagines in ſe efformat. Idque duobus modis. *Primò*, prorſus naturaliter, ob intimam Animæ cum Corpore unionem, prout in nobis excitatur Idea *Coloris* vel *Luminis*, ob Materiæ ſecundi Elementi impulſum in extremitatem nervi optici, et ſic porro in propriis ſingulorum Senſuum perceptionibus. *Secundò*, ex conſuetudine, quatenus ea, quæ Senſum movent, exempli gratia, *Scriptura*, ſigna materialia ſunt, ex Arbitrio et inſtituto Humano hoc vel illud ſignificantia. Quid autem dicetur de Senſu *Doloris* et *Titillationis*? Gladius Corpori noſtro admovetur, illud ſcindit, ex hoc ſolo ſequitur *Dolor*, qui ſanè non minus diverſus eſt à Gladii, vel Corporis, quo ſcinditur locali motu, quam Color, vel Sonus, vel Odor, vel Sapor. Atque ideo cum clarè videamus *Doloris* Senſum in nobis excitari ab eo ſolo, quod aliquæ Corporis noſtri partes, contactu alicujus alterius Corporis localiter moveantur, concludere licet, Mentem noſtram talis eſſe naturæ, ut ab aliquibus etiam *Motibus* Localibus, ab internis vel externis cauſis in Corpore noſtro excitatis, omnium aliorum Senſuum Affectiones pati poſſit.

XLVI. Id in Tactu Oſtenditur.

Neque id oſtendere erit difficile, ſi attendatur omne illud, quod ab *Objectis* externis ad Senſus noſtros appellit, nihil aliud prorſus eſſe, quàm *Motum* Corporeum, aliter atque aliter, ex partium Materiæ Magnitudine, Figura, et Situ modificatum. Quod manifeſtum fiet, omnes Senſus, ipſorumque objecta evolventi.

De *Tactu* extra controverſiam eſt, qui non niſi alicujus Corporis preſſione, adfrictione, impartione, ſive illiſione, et ſimilibus afficitur. Porrò, quòd id quod Corpori noſtro admovetur, videatur *molle*, vel *durum*, *calidum*, vel *frigidum*, et id genus reliqua, *Motui* tribuendum eſſe æquè manifeſtum eſt. *Saccharum* enim, Saxa, et Ferrum attritione confracta, et in tenues pulviſculos comminutá mollia fiunt; *Aqua* verò, ex motus privatione, partiumque nexu ac quiete in *Glaciem* compacta, dura. Unde conſtat Duritiem in firma quieſcentium partium unione conſiſtere, Mollitiem in earum disjunctione, modò ſatis tenues ſint, majorémque fore mollitiem, ſi tenuitati Motus acceſſerit. Eandem etiam eſſe rationem de *Calido* et *Frigido* ex eo liquet, quod motu ad hunc vel illum gradum adſurgente, *Calor* excitatur, et illo remiſſo Motus gradu, vel minuitur, vel tollitur: Quemadmodum clarè videmus in Aqua bulliente ſuper Ignem in vaſe poſita. Quin et ipſius *Ignis* naturam in vehementiſſima particularum agitatione conſiſtere, ex eo planè deprehendimus, quòd maximam partem pabuli ſui in *Flammam*, quæ vehementi motu agilique vibratione ſurſum fertur, abſumit, ipſoſque Cineres in minu-

minutiſſimas partes disjungit, unde et ipſi molles aliquatenus evadunt. Pari ratione reliquæ *Qualitates* tactiles ex natura motus explicari poſſent, ſed id juſti Voluminis, non unius Diſſertationis opus eſſet.

XLVII. Idem de guſtu manifeſtum eſt.

Cùm autem de *Tactu* conſtet, quòd id nihil ſit aliud, quàm *Motus* Corporeus, quod ipſum afficit, ſecuri eſſe poſſumus idem in *Guſtu* contingere, cùm ipſe ſit Tactus quidam, illiuſque perceptiones, teſte *Ariſtotele*, ex corporeo Objecti atque Organi contactu fiant, varientúrque ex variis Motus effectis in objecto. Cibi enim omnes ex aliis atque aliis Ignis miniſteriis, alios atque alios *Sapores* ſibi adſciſcunt, variiſque modis *Guſtum* afficiunt. Quod æquè verum eſt de Medicamentorum tam Saporibus, quàm viribus. Utraque enim Ignis arte augentur, minuuntur, variantur. Eſt autem et ipſe *Sol* Ignis, cujus itidem Calore omnes *Terræ* fructus Maturitatis gradus ſubeunt.

XLVII. Atque etiam de odoratu.

Et quoad *Odoratum* attinet, quamvis non videatur hic eſſe idem ille Organi Objectique contactus, Senſationem tamen Motu corporeo fieri ex eo conſtat, quod *Odores* Vento ad Nares feruntur, et ſubinde divertuntur. Unde palam eſt, eos quatenus ad extra, eſſe particulas quaſdam Aeri innatantes, et Odoratus organo impingentes. Quod adhuc evidentius apparet in *Suffumigationibus*, ubi Ignis agitatione, Odores majori copia excitantur, fortiúſque Nares feriunt.

XLIX. Auditus etiam per motum localem peragitur.

Soni etiam ab Aere tranſvehuntur, Corporiſque obſtaculis deflectuntur, et ab adverſis impediuntur Ventis. Unde planè ſuam produnt

naturam, indicántque, ſe certos quoſdam eſſe *Motus*, per Aerem tranſmiſſos. Quod etiam manifeſtius ex ipſorum generatione apparet. Nunquam enim auditur *Sonus*, niſi ex aliquorum corporum colliſione: Quemadmodum palam eſt tam in Animalium vocibus, et in pulſandis inflandíſve inſtrumentis muſicis, quàm in inconditis quibuſlibet Strepitibus et Fragoribus. Ipſa etiam *Echo* huic veritati accinit, quæ nihil aliud eſt, niſi Sonus à Corpore aliquo concavo repercuſſus, ſive reflexus. Quid autem, quæſo, a Corpore reflecti poteſt, quod ipſummet non moveatur? *Sonus* igitur nihil aliud eſt, quàm *Motus* quidam Aeris, *Echo* autem nihil præter Motus hujus reverberationem.

L. Viſus utique per motum peragitur.

Quemadmodum verò ex *Echo* deprehendimus Sonum motum eſſe quendam corporeum, ita pari ratione concludere poſſumus, id quod ad Oculos noſtros ab Objectis viſibilibus appellit, nihil eſſe aliud præter hujuſmodi *Motum*, diſtinctis quibuſdam legibus modificatum. Nam Species illas viſibiles, quas vocant, à Corporibus reflecti apud omnes in confeſſo eſt. Nihil autem à Corpore reverberari poſſe niſi moveatur, jam monuimus ex ſe ſatis eſſe manifeſtum. Univerſim igitur verum eſt, Senſationem in ſe nihil eſſe aliud; niſi *Motus* Corporei perceptionem.

LI. Nihil in objectis externis deprehendimus præter ipſorum figuras, magnitudines et motus.

Addi etiam poteſt, nullam nos inter nervos differentiam deprehendere, ex qua judicare liceat, aliud quid per unos, quàm per alios, à Senſuum externorum organis ad Cerebrum pervenire, vel omnino quicquam eo pervenire præter ipſorum Nervorum *Motum* localem.

Vide-

Videmúſque hunc localem Motum, non modò *Titillationis* vel *Doloris* Senſum exhibere, ſed etiam Luminis et Sonorum. Nam ſi quis in Oculo percutiatur, ita ut ictus vibratio ad *Retinam* uſque perveniat, hoc ipſo, plurimas luminis ſcintillas videbit, quod *Lumen* extra ejus oculum non erit: Atque ſi quis *Aurem* ſuam digito obturet, tremulum quoddam murmur audiet, quod a ſolo Aeris *motu*, in ea incluſi proficiſcetur. Denique ſæpè advertimus *Calorem*, aliaſque ſenſibiles Qualitates, quatenus in objectis exiſtunt, nec non etiam rerum purè materialium formas, ut exempli gratia, formam *Ignis*, à quorumdam corporum locali motu oriri, atque ipſas deinde alios motus locales, in aliis corporibus efficere. Enimuero cùm à nihilo nihil fiat, evidens eſt in eo, quòd per ſolum motum localem fit, nihil niſi motum localem, vel aliquid motum localem conſequens, qualia ſunt, Figura, Magnitudo, et Situs reperiri poſſe.

LII. Cur clauſis paulo poſt conſpectum Solem oculis, varios colores videre videamur.

Idem alio exemplo confirmatur: ſi aliquando contingat, ut *Solem*, luménve aliud valde fulgidum intueamur; Impreſſio illa, etiam aliquantò poſt, in oculis perſeverat, adeo ut licet poſtea claudantur, varios tamen *Colores* ſpectare nobis videamur, mutantes et ad ſe invicem tranſeuntes, prout paulatim evaneſcunt. Hoc enim aliunde non procedit, niſi quòd *Nervi* Optici capillamenta, motu inſolito concuſſa, et agitata, non tam ſubito reſidant, quàm alias. Sed Agitatio, qua adhuc poſt clauſos Oculos palpitant, et quaſi contremiſcunt, cùm ſatis valida non ſit ad reddendum tam illuſtre Lumen, quàm fuit illud à quo venit, *Colores* minùs intenſos, et velut

dilutos repræſentat; et hi Colores paulatim expalleſcendo mutantur, quod ſatis oſtendit, illorum naturam in *Motus* diverſitate tantummodo conſiſtere.

LIII. Concluditur nihil ad Senſum præter motum localem requiri.

Quæ cùm ita ſint, et ſciamus Animam noſtram ea præditam eſſe natura, ut diverſi *motus* locales ad omnes Senſus in ea excitandos ſufficiant; experiamurque illos reipſa varios Senſus in ea excitare; non autem quicquam aliud deprehendamus, præter ejuſmodi *Motus*, à Senſuum externorum organis, ad Cerebrum tranſire, omnino concludendum eſt, non etiam à nobis animadverti ea, quæ in Objectis externis, *Luminis*, *Coloris*, *Odoris*, *Saporis*, *Caloris*, *Frigoris*, et aliarum tactilium Qualitatum, Formarum Subſtantialium vel etiam *Effluviorum* à Corporibus promanantium nominibus indigitamus, quidquam aliud eſſe, quàm iſtorum objectorum varias *Diſpoſitiones*, quæ efficiunt, ut Nervos noſtros variis modis movere poſſint.

LIV. Motus organi Corporei vere Senſus nominatur.

Quamvis ad primum Senſus gradum, illud tantùm pertineat, quòd Corporeum Organum ab objecto externo afficiatur, ac proinde aliud non ſit, quàm iſtius organi *Motus*, *Figuræ*, ac *Situs* Mutatio, ex illa agitatione profecta, tamen veri *Senſus* nomen obtinet, cùm *Secundus* ad perceptionem, *tertius* ad Rationem potius ſit reducendus. Sic enim Philoſophi paſſim Oculi *Motum* Senſus ac Viſus nomine deſignant, dum quærunt, exempli cauſa, an *Viſio* per radiorum emiſſionem, aut per receptionem peragatur, tunc enim ad Organum Corporeum attendunt, cujus eſt Radios tranſmittere, vel à Rebus reflexos hoſpitio

pitio recipere. Iſque quoque familiare eſt, Viſionem ſumma Diviſione, in *Directam*, *Refractam*, et *Reflexam* digerere, quæ partitio non niſi ratione corporei motus Radiorum explicari poteſt. Quippe ad hujuſmodi Viſionem ſufficit, ſi *Motus* in organo Corporeo adſit, in Oculo vivo nimirum, in quem Animales ſpiritus, è ſubtiliſſima Sanguinis portione, Caloris rarefacientis beneficio geniti influunt: Denique ut *Motus* ille Nervi Optici, ad medium uſque Cerebrum pertingat. Cùmque *gradus* ille Senſus, ſit Belluis cum Hominibus communis, verè ſentire illæ dicuntur.

LV. Beſtiæ ut vita et Senſu donari dicuntur.

Hinc apparet, quàm iniquè in *Carteſianos* nonnulli invehantur, quaſi illi quemadmodum Cognitionem, ita et *Vitam*, ac *Senſum* à Brutis Animantibus amolirentur. Nam etſi nullam in ipſis Animam agnoſcant præter Sanguinem, ſive illam in Sanguine conſiſtere, uti ſacri textus teſtantur *Geneſ.* 9. 4. *Levit.* 17. 11. quatenus ſcilicet ſubtiliores imprimis Sanguinis particulæ, Beſtialem perficiunt *Animam*, motúſque omnis et agitationis facilitatem præſtant: non tamen Vitam *Carteſiani* Brutis denegant, ſed quæ ſola Corporali agitatione agilis eſt. Neque etiam illis Senſum abrogant, ſed qui nihil aliud ſit, quàm Affectio corporalis membrorum ad motionem hujuſmodi ſubeundam, interius et exterius aptè diſpoſitorum et connexorum. Si enim *Homo* ſentire, ſeu Senſu præditus eſſe dicitur, quamvis nihil præter Organi corporei agitationem habeat, quidni pari ratione, ſentire *Bellua* dicantur, cùm ſimilis eis motus tribuatur? Id expreſſis verbis adſtruit Carteſius in Reſponſione

ſponſione ad Sextas objectiones : *Etſi enim*, inquit, *addant* (opponentes) *ſe non credere operationes Belluarum abſque Senſu, Vita, et Anima, hoc eſt, ut interpretor, abſque Cogitatione (neque enim id quod vulgo vocatur Vita, nec Anima corporea, nec Senſus organicus Brutis à me denegatur) ope Mechanicæ poſſe explicari.* Non igitur Brutis Animantibus *Vita* et *Senſus* amoventur, neque etiam *Anima*, modo Animæ vocabulo, non niſi corporea, et Senſus nomine non niſi Organicus, qui non niſi motus eſt corporeus, intelligatur.

LVI. Nihil præter motum organicum in Brutis reperitur.

Et certè ſi ſeriò perpendatur, quidnam hac de re, maximè ſit probabile, nulla ſuppetit ratio, cur præter Motum organicum, ſit *Cogitatio* in Beſtiis aſſignanda, præter hanc *unam*, quòd cùm Oculos, Aures, Linguam et reliqua Senſuum organa obtineant, veriſimile ſit, illas ſicut et nos ſentire, et quia in noſtro Sentiendi modo, *Cogitatio* includitur, ſimilis etiam Cogitatio illis tribuenda videatur. Quæ ratio cùm maximè obvia ſit, omnium Hominum Mentes à prima ætate occupavit. Sunt autem aliæ Rationes multo plures, et fortiores, ſed quæ non omnibus occurrunt, quæ contrarium plane perſuadent. Inter quas ſuum quidem locum obtinet, quòd non ita rationi conſonum eſt, *Vermes* omnes, *Culices*, *Erucas*, et reliqua Animalium genera, immortali Anima eſſe prædita, quàm Machinarum inſtar ſe movere.

LVII. Ratio prima qua oſtenditur Bruta Cogitatione deſtitui.

Speciatim autem : Certùm eſt in Animalium Corporibus, ut etiam in noſtris, eſſe Oſſa Nervos, Muſculos, Sanguinem, Spiritus animales, et reliqua Organa ita diſpoſita, ut ſe ſolis, abſque ulla Cogitatione, Motus omnes,

quos

quos in Belluis obſervamus, ciere poſſint. Quod in *Convulſionibus* patet, quum mente invita. Corporis Machinamentum vehementius ſœpè, ac magis diverſis modis ſolùm ſe movet, quàm Voluntatis opera moveri ſoleat. Deinde quia Rationi conſentaneum videtur, cùm *Ars* ſit Naturæ imitatrix, poſſintque Homines varia fabricare *Automata*, in quibus, citra ullam Cogitationem eſt motus, ut Natura etiam ſua Automata, ſed artefactis longè præſtantiora, nempe *Bruta* omnia, producat, præſertim cùm nullam agnoſcamus rationem propter quam ubi eſt talis Membrorum conformatio qualem in Animalibus videmus, *Cogitatio* etiam adeſſe debeat; Atque ideò majori admiratione dignum ſit quod Mens aliqua in unoquoque Humano corpore reperiatur, quàm quod nulla ſit in ullis Animantibus brutis.

LVIII. Ratio ſecunda, Qua Bruttorum impotentia oſtenditur ad aliquid detegendum nutu vel voce, quod ad Cogitationem pertinet.

Sed Rationum omnium, quæ Beſtias *Cogitatione* deſtitutas eſſe perſuadent, meo Judicio, præcipua eſt, quod quamvis inter illas, unæ aliis ejuſdem ſpeciei, ſint perfectiores, non ſecus quàm inter Homines, ut in *Equis* et *Canibus* videre licet, quorum aliqui cæteris multò felicius quæ docentur, addiſcunt; et quamnis omnes perfacilè naturales ſuos impetus, ut *Iras*, *Metus*, *Famem* et ſimilia, voce, vel aliis Corporis motibus nobis ſignificent; nunquam tamen hactenus obſervatum fuerit, ullum brutum Animal eò perfectionis deveniſſe, ut vera *Loquela* uteretur, hoc eſt, ut aliquid vel *voce*, vel *nutibus* indicaret, quod ad ſolam Cogitationem, non autem ad Impetum naturalem, referri poſſet: Hæc enim

enim *Loquela* unicum eſt Cogitationis in Corpore latentis ſignum certum, atque ipſa utuntur omnes Homines, etiam quàm maximè ſtupidi et mente capti, et lingua Vociſque organis deſtituti, non autem ullum *Brutum*; Eamque idcirco pro vera inter Homines et Animantia differentia ſumere licet.

LIX. Nihil in Brutis reperitur præter organorum diſpoſitionem.

Unde concludere debemus, nullum planè in *Belluis* motus principium, à nobis cognoſci præter ſolam organorum diſpoſitionem, et continuum Spirituum affluxum, qui à Calore cordis, Sanguinem attenuantis producuntur; Simulque advertemus, nihil nobis antehac aliud ipſis affigendi occaſionem dediſſe, niſi tantùm, quòd duo illa principia *Motus* non diſtinguentes, cum priùs quod à ſolis Spiritibus et organis dependet, in *Brutis* tanquam in nobis eſſe videremus, aliud etiam quod in *Mente*, ſive Cogitatione conſiſtit, ipſis ineſſe inconſultè crederemus. Et ſanè quicquid ita nobis ab ineunte ætate perſuaſimus, quantumvis poſtea falſum eſſe, rationibus oſtendatur, non tamen facilè, niſi diu et frequenter ad rationes iſtas attendamus, ab Opinione noſtra deletur. Neque hæc opinio, quæ Cogitationem Brutis adimit, quæque illorum *vitam* in ſolo Cordis æſtu, et *Senſum* in organo corporeo conſtituit, tam crudelis erga illa, quam erga Homines pia habenda eſt, præſertim *Pythagoreorum* ſuperſtitioni non addictos, quos nempe à Criminis ſuſpicione abſolvit, quoties Animalia comedunt, vel occidunt.

LX. Quem in finem ſunt nobis ſenſus a natura dati.

Poſtquam declaratum eſt, quæ ſit *Senſuum* natura, ex quibus principiis oriantur, et qua ratione

ratione *Brutis* Animantibus conveniant, ſequitur, ut ſecundum præſcriptum ordinem, eorum uſum examinemus, ſive in quid utiles ſint, et ad quem finem fuerint nobis à natura conceſſi. Id ut nobis diſtinctiùs innoteſcat, recordandum eſt, *Hominem* à nobis conſiderari non ut lapidem, Arborémve ex bruta tantum Materia conſtantem, ſed præterea *Mente* præditum, quæ ad Dei imaginem condita, natura ſua multa percipere atque intelligere idonea eſt, ac de ijs poſtmodum judicium ferre. Recordandum inſuper, Huic Menti conjunctum eſſe *Corpus*, non inerti et continua mole, ſed variis inſtructum partibus, ijſque tam affabrè digeſtis, ut hæ à ſe Mutuo, et à cauſis externis commotæ, impulſum ad Cerebrum, *Nervorum* opera, tranſmittere queant, quo poſtmodum ad mentem delato, variæ tam internorum, quàm externorum perceptiones conſequuntur, quorum beneficio et proprii Corporis, ac multorum in eo Affectuum, necnon rerum extra nos poſitarum certiores reddimur, quæ nobis commoda ſunt, vel incommoda.

LXI. Origo Senſuum tam internorum, quam externorum.

Cutis enim univerſa, cum carnibus, quibus exterior Corporis habitus conſtat, aliquas Nervorum propagines ſibi intextas habet, quæ ubi ſpiritibus animalibus turgent, à pleriſque occurrentium Corporum contactibus moveri poſſunt, qui *Motus* prout concitati ſunt, vel mediocres, aliiſve modis variant, Menti quid occurſu ſuo Corpora prodeſſe, vel adverſari poſſint, indicant, ſimulque eam Senſuum varietatem in Cogitatione excitant, à qua tot tactiles *Qualitates*, quales ſunt *Calor*, *Frigus*, *Humi-*

Humiditas, *Siccitas*, *Durities*, ſimileſque denominantur: ſicque tot etiam rerum occurrentium diſcrimina, Qualitatum iſtarum nominibus inſigniri ſolita, ijſdem Senſuum perceptionibus cognoſcere nobis videmur. Et quia interiorum partium plurimæ, ſimiles habent *Nervorum* propagines, pluresque ipſo in Corpore cauſæ latent, quæ eas afficere poſſunt; Hinc *Senſus* quidam oriuntur, quos Internos vocamus, eo quod non externa objecta, ut priores, verum ad noſmetipſos terminari nobis videantur, taleſque ſunt perceptiones *Caloris* et *Frigoris*, ubi in noſtro Corpore reſident, necnon Doloris, et voluptatis.

LXII. Senſus quid compoſito Humano proſit, vel obſit, docent.

Cùm igitur Senſuum noſtrorum perceptione,, ad totum *Compoſitum* ſpectent, non alia de cauſa nobis Senſus dati eſſe videntur, quàm ad ſignificandum Homini, quæ ei commoda, quæ incommoda ſint, ſive ut *Animo* manifeſtent, quænam res ei quatenus ex mente et corpore conflato conveniant, aut noceant. Non enim *Senſus* rerum extra nos poſitarum Entitates nobis exhibent (hoc enim ſolius eſt Intellectus) verùm quatenus propter Animæ cum Corpore nexum, Mens, organorum interventu, ab objecto affici poteſt, ac proinde Senſuum perceptiones, non quid revera ſit, in rebus, ſed quid Humano *Compoſito* proſit, vel obſit inſtruunt.

LXIII. Naturæ ordo pervertitur quando Senſibus utimur ad veritatis Cognitionem.

Tria quippe ſunt Hominis Attributa, alia ratione ſolius *Mentis* ei competunt, ut *Intellectus*, *Judicium* &c. Alia ratione ſolius *Corporis*, ut magnitudo, Figura &c. Alia ratione *Mentis* et *Corporis* ſimul, ut *Senſus*, *Fames*,

Fames, Sitis &c. Jam autem uti ea quæ ratione ſolius Corporis Homini ſunt tributa, etiam ad ſolum Corpus referuntur; ut ea quæ ratione ſolius mentis ei ſunt tributa, ad ſolam mentem: pari modo, quæ ratione Corporis et Animæ ſimul ei tributa ſunt, illa non niſi ad Compoſitum ipſum, qua tale referri debent. Quod cùm de *Fame*, *Siti*, et talibus, facilè quis dederit, cur non dabit de Senſibus? Veritatis Cognitio ad ſolam mentem ſpectat, non ad Compoſiti conſervationem. Nos ergo naturæ ordinem immutamus, quando *Senſus* ad dignoſcenda ea, quæ dictæ Compoſitioni tuendæ, commoda ſunt, aut Incommoda, nobis datos, ad ipſius *Veritatis* cognitionem convertimus. Exempli gratia, quando ex eo quòd Corpori bonum aut malum quid eſt, abſolutè et in ordine ad Rei Veritatem judicamus eſſe bonum aut malum; quando ex eo, quòd plus minúſve Corpus afficit, etiam in ſe majus minúſve, perfectius aut imperfectius eſſe cenſemus.

LXIV. Objicitur ex quibuſdam locis Carteſii, Senſu veritatem aliquando detegi.

Si dicas non prorſus inutiles eſſe Senſus, ad *Veritatis* Cognitionem, cùm eorum ſubſidio, ad rerum multarum notitiam perveniamus. Nam quomodo ſciremus, exempli cauſa, eſſe *Solem*, *Lunam*, *Sidera*, et infinita alia, quæ niſi his ducibus attingere valemus? Carteſius ipſe in initio Dioptricæ agnoſcit *Totius vitæ noſtræ regimen à Senſibus pendere.* Et parte ſecunda priucipiorum, Sectione tertia, non abnuit Senſus *interdum et ex accidenti nos docere qualia*, Corpora, in ſeipſis exiſtant.

LXV. Explicantur objecta ex carteſio ſumpta.

Non inficias imus, Senſus nos Inſtruere, *quòd Res ſint*, ſive Corporum exiſtentiam, nam hoc

hoc requiritur, ut cognoſcamus, quæ Compoſito proficuæ ſint; aut noxiæ; ſed non *quid ſint*, ſive eſſentiam et intimam Corporum naturam; quia hoc neceſſarium non eſt, ad Compoſiti conſervationem. Et quando ait *Philoſophus* Senſus eſſe vitæ noſtræ rectores, ſpecilláque viam nobis ſternere, ad perfectiorem rerum notitiam comparandam, non vult quod *oculi*, multò minùs *Specilla* hoc immediatatè præſtent, ſed quòd promota Viſus noſtri acies, philoſophandi Occaſionem ac materiam nobis ſubminiſtret. Sic paſſim *Carteſius* Experimenta ad Phyſicam abſolvendam neceſſaria eſſe docet. At docet utique Senſus ſaltem *interdum et ex accidenti nobis exhibere, qualia in ſeipſis exiſtant* Corpora; docet nimirum ut *ordinarium* Senſuum uſum, et qui per ſe illis competit, ut quid Humano Compoſito utile ſit aut damnoſum inſinuent, ab eo diſcriminet qui rarus et *extraordinarius*, atque per accidens tantùm ipſis competit. Et quamvis concluderetur res corporeas exiſtere, quia Senſui repræſentantur, non tamen ideò exiſtimandum, eas omnes prorſus tales eſſe, quales Senſus percipit, quoniam perceptio illa, multis in rebus obſcura eſt, et confuſa, ac proinde cùm ex iſtis *Senſuum* externorum perceptionibus, ſine prævio maturæ Rationis examine, de rebus extra nos conſtitutis certi aliquid concludere non poſſimus, *Veri* inveſtigatio ac Scientia ad ſolum *Animum* noſtrum, non autem ad totum Hominem, quatenus Animo et corpore conſtat, pertinere videtur.

Quid

LXVI. Utiles ſunt Senſus ad Vitam Hominis Animalem.

Quid! *exautorandi ſunt igitur prorſus Senſus noſtri? Abigendi tam cari Vitæ noſtræ Rectores*, et inutiles habendi? Nequaquam; ſuis uſibus deputantur: Ad Compoſitum, vel Hominem referuntur, ijque ab Authore Naturæ conceſſi ſunt, quo *Vitæ* conſulere, et totius Compoſiti Naturam ſervare poſſimus, et quæ prodeſſe, aut obeſſe ſolent, dignoſcere, adeò ut totius Animalis Vitæ regimen ab ijs pendeat, magiſque ut plurimùm conducat in *Cibo*, *potu*, et *Medicamentis* aſſumendis, Senſus duces ſequi, quàm ſubtilioribus indulgere Rationibus, repugnante *Senſuum* perceptione. Neque tamen ex eo, quòd aliquid utile eſt, aut noxium, de illius Natura aut Veritate judicandum eſt. Nec ſi quid magis aut minùs Corpus afficiat, idcirco in ſeipſo id majus erit, aut minus. Hoc quippe inter præcipuas *Errorum*, quibus ab Infantia Mens obſidetur, cauſas, referri debet, quòd de rebus abſolutè, non uti ſunt in ſeipſis, ſed ut Corpora noſtra juvant, aut Lædunt, plerumque judicemus.

LXVII. Malebranchius Defenditur aſſerens nobis datos tantum eſſe Senſus ad compoſiti conſervationem.

Magna igitur cum ratione aſſeruit Clariſſimus *Malbranchius* Libro primo Diſquiſitionis Veritatis, Capite ſexto, Senſus, nequaquam à Natura nobis datos eſſe, ad Veritatem eruendam, ſeu ad rerum principia contemplanda, ut *Peripateticis*, Philoſophiſque aliis viſum eſt, ſed ſolummodo ad indicandum, quænam Vitæ noſtræ corporeæ grata ſint, aut exitioſa. Hic genuinus Senſuum noſtrorum uſus ac finis, et eum illi pervertunt, qui eis tanquam puræ Veritatis Magiſtris utuntur, quaſi nimirum, certas nobis Regulas

ſuppeditent, quarum ope, citra ullam longiorem *Rationis* deliberationem decernere liceat, quæ intima ſit Rerum extra nos poſitarum eſſentia, quæ eis annexæ proprietates; de quibus tamen nihil niſi confuſè admodum docere queunt.

LXVIII. Senſus fallaces ſunt nuntii. Id in Tactu experimur.

Detecto germano Senſuum noſtrorum uſu, *Tertiò* inquirendum eſt, num in his ſaltem, quæ nobis revelant, veridici ſint, an potiùs, quemadmodum exiſtimant *Carteſiani*, fallaces ſint nuntii, et ſperata veritate nos ſœpiùs fruſtrentur. Certè ſuſpectam debere eſſe Senſuum *fidem*, ac pro incertis falsíſque habenda eſſe, quæ nobis offerunt, primum in *Externis*, mox in *Internis* Senſibus reddetur manifeſtum. Quoad *Tactum*, Experiuntur fermè omnes, *planitiem*, exempli cauſa, *Lapides*, *Saxa*, aliaque ſimilia Corpora, ſi tangantur, Manibus Læviora, Pedibus autem Aſperiora videri. Experiuntur qui natatu ſe exercent, dum Fluminis *aquam* ſubeunt, alio Modo ſe ab ea affici in initio, quàm dum ibi aliquamdiu morati, natatum contendunt, aut adverſo Flumine feruntur; cùm tamen eadem ſit *Aqua*, et ſolum ut affecti ſumus, de *Caloris*, aut *Frigoris* Vi judicemus. Similem ob cauſam *Balnea* in ingreſſu fervida, mox tepida putantur. Sic et Loca ſubterranea, etiam minùs profunda, Æſtivo tempore *Frigida*, Hyberno autem *calida* nobis videntur, cùm tamen ex *Thermometro*, aliter rem ſe habere, experimur. His et ſimilibus phænomenis adducti *Zenophanes*, *Colophonius*, *Parmenides*, *Eleata*, *Zeno*, *Nileſius*, et alii plures ex Antiquioribus, Senſum

Senſum omnem abjecerunt, et ad rerum Cognitionem comparandam, penitus inutilem exiſtimarunt.

LXIX. Eandem fallaciam experimur in guſtu.

Multiplex etiam in *Guſtu* Error deprehenditur; Idem enim *Cibus* varium ingerit ſumentibus ſaporem, cùm qui *Jejunis* arridet; eiſque voluptatem conciliat, Saturis faſtidio eſt, et comeſtus nauſeam adfert. *Potus* itidem non omnibus jucundus eſt, ut Sitibundos delectat, temulentis vinóque madentibus odium parit. Simile quid *Ictero* laborantibus contingit, eſcas illas ipſi reſpuunt, quàs avidè antea expetebant, quáſque ut dulces ac gratas fuerant experti. *Puellæ*, quæ pica laborant, Carbones aliáque hujuſmodi vorant; et Prægnantes in primis præſertim menſibus, eos cibos in deliciis habent, quos aliàs averſabantur; Eò quòd Illæ *Papillas* Senſui famulantes *Schirro* quodam affectas habent: in His autem, Organo à nativa conſtitutione abeunte, eædem eſculentorum particulæ, diverſis texturis, pari ratione, ac antea, accommodari nequeant. Flava enim *Bilis*, qua lingua eorum inficitur, utpote ex acribus particulis compoſita, *Salivam* ita corrumpunt, ac ſi nonnihil fuliginis, aut fellis admiſceretur. *Lingua* arida res ſiccas quidem tangit, ſed non guſtat, non percipit, quod eidem accidit, ſi humido organo inſipida admoveantur. Immo contingere poteſt, ut ex varia Nervorum, qui guſtui inſerviunt, diſpoſitione, omnis prorſus Guſtatio adimatur; ut de quodam *Lazaro* Vitri-vorace refertur, qui inverſo Saporum ordine, eos confundebat, ſic ut quæ Amara erant dulcia, Pinguia ſalſa vocabat.

LXX. Nobis utique Odoratus sœpe imponit.

Nos etiam *Olfactu* sœpiùs decipi, aliquot exemplis fiet manifestum. Qui *Catarrho*, *Oriza*, aliisque Humorum vitiis, aut Distillationibus corripiuntur, vix *Odores* ullos percipiunt, quòd interior narium membrana, nimio Humore Madens Olfactum obtundat. Qui rem odoram, exempli causa, *Florem*, aut *Suffimenta* Naso admota aliquantulum temporis retinent, aut in loco Odoribus referto diu degunt, nullo amplius odore afficiuntur; Idem ijs contingit, qui *Vestimenta*, *Chirothecas*, aliáque redolentia secum deferunt, non quòd non respirent, operculúmque, si adesse supponatur, non attollant, sed quòd *Halitus* particulæ primùm ingressæ, non tam citò regrediantur, verùm nonnihil hæreant, ac paulatim Vias, seu Ossis illius foramina oppleant, atque obturent, adeò ut alia quæ supervenium penetrare, et *Sensorium* percellere nequeant. Ex quo efficitur ut vel res *Odora* non nisi per vices, naso admovenda sit, aut à loco fragrante recedendum, ut hærentium particularum excessui tempus concedatur, et novis recipiendis meatus subinde pateant.

LXXI. Idem in Auditu ostenditur.

Variis etiam modis, in Errorem per *Auditum* inducimur; Exempli causa, cùm Campanarum *strepitus*, similiaque Murmura, ut a Mari provenientia exaudiri existimantur, cùm ab ipso *Aere* intra Auris cavitates concluso, eodemque valde agitato, et spiritus animales ita determinante, tanquam pelago proximus esset, suscitetur. Ab eadem causa oritur, quòd *Aure* utraque, vel earum alterutra probè obturata, tremulum Murmur quoddam audiàmus: quoniam Aere intra *Auris* cavitates con-

constricto, Tympanum agitatur atque impellitur. Campanæ *Sonus* ita nonnunquam excipitur, ut non à Campanili, in quo illa affixa est, sed à loco opposito transmitti videatur: ita ut quæ plagam Borealem versus pulsatur; ea ad Meridionalem audiri judicetur. *Mendicus* si propè vitream Carpenti, seu Rhedæ, ut vocant, fenestram, subsidium petat, qui in eo sedent, alteri demissæ, aut apertæ eum adstare arbitrantur. Nam sicuti res *visa*, per radios reflexos, non ubi est, esse apparet, sed illic unde Radii rectà ultimò adveniunt: ita res per Sonum reflexum percepta, non ubi est, sed illic, ubi *Sonus* ultimo rectà advenit, constituta apparet.

LXXII. Variis modis Visus decipit: primo ratione distantiæ.

Visus, quemadmœdum Sensus cæteros dignitate antecedit, ita in Erroribus progignendis fœcundior est. Nam sœpiùs multisque modis fit, ut res aliter, quàm revera in se est, conspiciatur. Primò ratione *Distantiæ*, cùm Objectum remotius est, aut propinquius, quàm ut radii omnes ab eo emissi, aut reflexi, integri ad nos perveniant. Quo modo *Sol*, *Turris quadrata*, *Statuæ* in Turrium fastigiis stantes, aliáque omnia Corpora è longinquo conspecta, ut et quæcumque Oculis nimis propè admoventur, aliam omnino Magnitudinem et Figuram, quam revera habent, induisse videntur.

LXXIII. Secundo ratione Medii.

Secundo, ratione *Medii*, cùm Radii in eo variè refringuntur. Quam ob causam *Baculus* integer, in Flumine fractus apparet; et *Stellæ* fixæ, quæ Solis instar lumen ex æquo emittunt, scintillare tamen, Coronásque breves habere cernuntur. Ut et circa *Cometas*, opacá

licet planetarum cæterorum inſtar, Corpora, longam Radiorum veluti Comam fulgere, eámque nunc præferre, nunc poſt ſe trahere, aliquando etiam *Trabis* igneæ forma conſpici obſervamus.

LXXIV. Tertio ratione Superficiei.

Tertiò, ratione *Superficiei*, cùm quæ ſenſibilis eſt, Corporis alicujus partium diſpoſitionem eſſentialem, ſub inſenſibili latentem nequaquam exhibet. Ut in *Faba* cernitur, cujus Superficies ſub Senſum nudum cadens, Molem quandam plantæ abſimilem repræſentat, quam tamen ea partium diſpoſitione Eſſentiali, quæ plantam ipſam conſtituit, præditam eſſe Microſcopiis Manifeſtum eſt. Sic et Ranarum *ova* inorganica omnino nudo Oculo apparent, cùm tamen ea variis membris inſtructa Specillis dictis percipiamus. Id quod etiam pluribus Inſtantiis oſtendi poteſt. Neque dubitandum eſt, varia reperiri Corpora, quorum partium. Diſpoſitionem, ſeu Conſtitutionem eſſentialem nullo unquam Senſu aſſequi potuimus, quam tamen ſi attingere liceret, diverſum de ijs à Vulgari judicium formaremus.

LXXV. Quarto ratione Impreſſionis.

Quartò ratione *Impreſſionis* in Senſoriis factæ, cùm vibratio ab Objecto facta, aliquantulum remanet: ut experiri licet in *Sole*, poſt clauſum Oculum apparente: Vel in *Teda*, in Gyrum rotata; nam tunc in Oculis apparet igniti Circuli imago, quamvis Teda in omnibus Circuli punctis non adſit. Unde appoſitè *Plato*, ſeu potiùs *Socrates* apud Platonem in Phædon. "Cognoſcunt viri Scientiæ "cupidi, quemadmodum Philoſophia eorum "Animam ita conſtitutam ſuſcipiens paulatim "inſtruit, ſolvereque aggreditur, quàm fallax "Oculo-

"Oculorum, quàm fallax Aurium, cætero-
"rumque Senſuum ſit judicium, ſuadens ab
"ijs diſcedere, quatenus hærere illis ſum-
"ma non cogat neceſſitas, ſeque in ſeipſam
"revocare, atque colligere, nec ulli credere
"præterquam ſibi.

LXXVI. Error in hoc conſiſtit, quod non advertatur.

At Viri Eruditi et ſolertes, cùm compertas habeant Senſuum *fallacias*, illas induſtria ſua evitare poſſunt, ac proinde errorem, qui inde oritur, fugere. Verùm, unde ſcient Viri illi, quantumvis prudentes, et induſtrios fingamus, omnes *Circumſtantias*, quæ res Senſibus objectas comitantur, ſe circumſpexiſſe? Deprehenderunt ſe à *Senſibus* pluries fuiſſe deluſos, neque illorum fallacias ſemper animadvertiſſe, hoc in confeſſo eſt; Annon id ſufficit, ut ſuſpectam habeant Senſuum fidem? immò in dubium accerſant, quicquid illi ingerunt ac repræſentant? Nec quicquam juvat, quòd non eandem ubique *falſitatem* experti ſint, quoniam neceſſarium non eſt, ut quoties impoſturam patimur, eandem advertamus, cùm è diverſo, in hoc ipſo conſiſtit *Error*, quòd ſub Erroris ſpecie non animadvertatur.

LXXVII. De Senſuum fide dubitandum.

Neque etiam Hi Senſuum cauſam felicius agunt, qui dicunt, Eos munere ſuo exactè fungi; atque nunquam nobis imponere, quando omnia ad perfectam Senſationem neceſſaria adhibentur, qualia ſunt, *Organum* ritè diſpoſitum, *Medium* conveniens, et *Objectum* in debita Diſtantia et quantitate conſtitutum. Quia id quod nos de Rerum Corporearum exiſtentia certos reddit, eſt, quòd earum Ideæ ſeu notiones cùm ſeſe menti noſtræ ſœpiùs, nobis invitis, et ad id non attendentibus, of-

ferant, noſmet ad credendum abripi ſentiamus, eas, ab objectis quibuſdam externis procedere, quæ Senſus noſtros feriunt: Verùm in *Somno*, et Phreneticorum deliriis experimur, opus non eſſe, ut objectum aliquod ſimile, aut diverſum ab eo, quod ſentimus, Senſus noſtros tangat, ad eaſdem Cogitationes in nobis excitandas: Certè ille, qui *Veritatem* ordine inquirere aggreditur, de Rerum ſenſibilium exiſtentia dubitet, cùm fieri poſſit, ut eaſdem, quibus imbuitur, Cogitationes habeat, Reſque illi eodem modo appareant, quamvis vel nullum Objectum externum Senſuum ejus organa percelleret.

LXXVIII Prudentiæ eſt Senſuum teſtimoniis diffidere.

Cùm igitur *Senſus* ſœpius nos circumducant, ut loquuntur Juriſconſulti, et quæ Senſùm fugiunt etiam non exiſtere putemus, aut è contra; Immo ſemper errent, quatenus ex eorum judicio, Qualitates illas tales in objectis, quales Senſui exhibentur, credimus; Prudentiæ eſt, nunquam nimis ijs fidere, qui nos vel ſemel deceperunt. *Civilis prudentia*, inquit Clariſſimus Baco, *ex præſcripto diffidit, et de rebus Humanis in deterius conjicit.* Si hæc *Ethicæ* prudentiæ congruunt, multò magis *Theoreticæ*, ſeù Philoſophicæ, quæ praxi eſt accuratior: Nam cùm prima Cognitionis Humanæ principia, talia eſſe oporteat, ut ijs fidem omninò habere poſſimus, cúmque *Senſus*, ut jam multis exemplis patuit, fallaces ſint, et in Errorem non raro nos inducant, pro talibus Principiis haberi non poſſunt. Neque refert quod de Rerum, quæ ſatis magnæ, et propinquæ ſunt, exiſtentia nunquam errent; multa tamen *dubia* non temerè

merè quæſita prudenti Viro ſeſe offerunt, quæ de Senſuum teſtimonio Objici poſſunt: Nempe quomodò deprehendam *Ideas* illàs à rebus extra me poſitis proficiſci, et non à mentis meæ natura provenire, quod nunc hæc, nunc illa cogitem. Quid ſi quiſpiam malus detur *Genius*, qui tales mihi Cogitationes ſuggerat? Quæ objectiones dilui nequeunt, niſi altiùs fundamentum repetatur, quo Senſuum certitudo ſtabiliatur. Nam licet de rerum quarumdam *exiſtentia* nunquam decipiantur, in aliis tamen maximè hallucinantur, ſive in errorem nos pelliciunt, dum illa exiſtere opinamur, quæ revera non exiſtunt; vel etiam circa *Senſibilia* corpora, dum illa eo modo exiſtere judicamus, quo Senſuum noſtrorum organis exhibentur.

LXXIX. Par deceptio Senſibus internis provenit.

Non ab Externis Senſibus modò, ſed et ab *Internis* deludimur, idque quatuor variis modis. *Primus* eſt, cùm aliquid nos facere, aut ſentire putamus, quod nec facimus nec ſentimus. Sœpiùs de *Puella* audivi, quæ varios in manu dolores ſentire ſe querebatur, quæ ob gangrenam, ipſa non animadvertente, abſciſſa fuerat. *Secundus*, quando nos aliquid feciſſe, aut dixiſſe judicamus, quod neque fecimus, neque diximus. Sicut *mulier* illa, cujus mentionem facit *Auguſtinus* de Civitate Dei, libro decimo octavo, quæ ſibi perſuaſum habebat, quædam ſibi in locis procul remotis, contigiſſe, à quibus aberat. Quippe ſomnifera potione, priuſquam lectum peteret, ſumpta, manè evigilans, Senſibus integris, narrabat ſe è cubili abreptam, et ad locum longiſſime diſtantem delatam, ibi neſcio

quæ

quæ mira cum *Beſtijs* patraſſe, cùm interim tota nocte, inter ſtrata jacuiſſet. *Tertius*, comprehendit omnes Sermones, et extravagantia Stultorum phreneticorum facta. Qui Vertigine laborant, omnia extra ſe Corpora in orbem moveri imaginantur, cùm tamen nulla ſit in objectis circularis *agitatio*, ſed Spirituum, qui in Cerebro reſident, circulatio totam hanc Scenam peragat. Idem in *Ebriis* et vino madentibus evenit, qui ob vaporum copiam in Cerebro diſcurrentium, duplicata omnia ſibi cernere videntur. *Quartus*, cùm quis ſeipſum aliud quam eſt, eſſe imaginatur, qualis fuit iſtius *Stulti* error, qui ſe gallum gallinaceum eſſe mente agitabat. Vidi ipſe, dum Pariſiis degerem, in Zenodochio, vulgò, *les petites maiſons*, quoſdam adeò mente permotos, ex Melancholia, delirio laborantes, qui ſe Reges eſſe crederent, et *Cræſo* ipſo ditiores, cùm eſſent *Iro* pauperiores, vel Purpura redimitos, cùm nudi inter ſtramina decumberent; alios, qui ſe Vaſa Vitrea eſſe putarent, immò et Hordei grana; et ne à Gallo Gallinaceo haurirentur, ſibi caventes.

LXXX. Duæ generales Senſuum errorum Cauſæ. Prima.

Quoniam quæ hucuſque de Lubrica Senſuum et Imaginationis fide *rationes* allatæ ſunt, Particulares ſunt, non ſupervacaneum erit, duas addere Univerſales, utpote quæ ad plura, quàm præcedentes ſe extendant. *Prima*, quòd nullas res unquam Vigilando ſentire nobis Viſi ſumus quas ſomniando credere aliquando non poſſimus nos ſentire: Et quia illa, quæ inter dormiendum ſentire videmur, non à *Rebus* extra nos conſtitutis accedere judicamus: nulla certe occurrit ratio, quare

non

non idem de ijs quæ nobis vigilando contingunt, crederemus. Quoties enim accidit, ut uſitata, et quæ mihi familiaria ſunt, ut huic aſſidere Menſæ, calamum digitis premere, lineas ducere, præſentes alloqui, nocturna Somnia perſuaſere? cùm tamen veſtibus poſitis, in lecto recumberem. Quoties inter ſomniandum mecum ipſe contendi, non *Somnium*, ſed Rem Veram fuiſſe, quæ Menti offerebatur? Quoties perſuaſum habui, me nonnulla manu attingere, alia intueri, Obvios interrogare, urgentibus reſponſum dare? et ijs omnibus adeò diſtinctè ſui ſpeciem Menti ingerentibus, ut experrectus, et *Somno* penitus ſolutus, tantiſper in illa Opinione perſtiterim, ea omnia non Imaginationis ludibrio, ſed revera mihi contigiſſe. Cùm igitur ſimiles et Dormienti et Vigilanti occurrant Cogitationes, dum ad Senſuum Meorum evidentiam provoco, dum factorum meorum conſcientiam, veluti Vigiliæ meæ teſtem adduco; quis me jam *Somno* excitatum, ſive Vigilem potiùs, quàm Sopitum evincet?

LXXXI. Altera cauſa dubitandi de Senſuum fide.

Altera cauſa, qua ad dubitandum de Senſuum fide impellimur, magis adhuc Generalis eſt; nempe, cùm originis meæ *Authorem* ſummè potentem eſſe cognoſcam, et à quo talis qualis ego ſum, omnino pendeam, quid impedit, quo minùs me hujus naturæ conditum Voluerit, ut in ijs decipiar, deludar, Halluciner, quæ mihi certiſſima apparent? Quidni pro libera, qua pollet, Libertate, effecerit, ut *Cœlum* quod intueor, *Terra* quam pedibus calco, *Plantæ*, *Animalia*, quibus delector, et materialia omnia, quæ mihi continuo

nuò occurrunt, non exiſtant, non adſint, ſed exiſtere dumtaxat, et adeſſe videantur? Profectò quotieſcumque ſummam ſolùm illam *Dei* Potentiam, cui nulli fines, nulla limitatio præſcribitur, attenta mente conſidero, non poſſum non fateri, tam Potenti Numini omnia licere, atque ſi quidem Velit, efficere poſſe ut in ijs fallamur quæ Senſus noſtros clariſſimè percellere nobis videntur.

LXXXII. Negari non poteſt, quin Senſus interdum fallant.

Sed demus *Deum* uti ſummè Potentem, ſummèque Liberum ſuppoſuimus, ita et Optimum, ac ſummè Veracem, qualis reverà eſt, agnoſcamus, ac proinde cujus Bonitati repugnat, ut ab objectis Senſuum noſtrorum organa ferientibus continuò circumveniamur: Negari tamen non poteſt, quin ſœpe nos in *errorem* adigant, atque variam hallucinandi Occaſionem menti ſuppeditent. Ut cum exempli cauſa, *Terram* eſſe planam exiſtimamus quòd ob magnitudinem, *Gibboſitas* ejus, oculi obtutu cognoſci non poſſit, et contra plana ejus Figura oculis ſe inſinuare apertè videatur. Dum judicamus *Cœlum* Terræ incumbere, ubi oculorum noſtrorum acumen ſiſtitur. Dum nobis perſuademus, *Lunam* poſt Solem, Stellas reliquas, et Luce et Magnitudine ſupergredi. Dum pro certo habemus, *Stellas* omnes in unica Superficie ſphærica contineri. Dum imaginamur *Solem* et Luce ſua, et Magnitudine tantum Stellas ſuperare, quantùm nobis apparet; cùm tamen ſola nimia Fixarum remotio, diverſæ iſtius Apparentiæ cauſa ſit. Ac proinde falſum eſſe, ut præmonuimus, Cognitionem omnem noſtram, initium à *Senſibus* ducere, nihilque in mente noſtra

noſtra eſſe, quod per Senſus non ſubierit. Cùm innumera a nobis concipiantur, à *Senſuum* repræſentatione prorſus diverſa, immò quamplurima, quæ ſub Senſus non cadunt, quæque eorum miniſterio aditum ad mentem ſibi munire non potuerunt, quales ſunt res Materiæ expertes, et quæ nihil habent cum Corporibus Commune; Et illud eſt quod quarto loco examinandum ſuſcepimus, Nimirum num Senſus quippiam ad Rerum Spiritualium Cognitionem comparandum conferant.

LXXXIII Multarum rerum Ideas habemus quæ a Senſu non pendent, ut Notiones communes.

Certè multa ab Intellectu percipi, quæ non in Cerebro, vel Imaginatione inſculpta fuerunt, clarè oſtendunt Ideæ, quas de *Re*, de *Veritate*, *Bonitate*, *Perfectione*, et ſimilibus, quæ rerum eſſentiam reſpiciunt, habemus, Item Notiones communes, quæ paſſim *Axiomata*, ſeu principia vocantur, quæ adeò luce ſua manifeſta ſunt, ut nullis probationibus ſtabiliantur; cujuſmodi ſunt; *Quodlibet aut eſt, aut non eſt: Totum eſt majus ſua Parte: Si æqualibus æqualia addantur, tota erunt æqualia*; quæ omnibus innata ſunt, et quæ à Senſibus ad mentem profluere non poſſunt. Quæ *innata* voco, non quod Humanæ Menti ab ipſa nativitate actu inhæreant, ſed quòd à Deo à prima ſui origine ei Facultas data ſit, ut dixi, tales Conceptus formas excitandi. Quòd autem communes hujuſmodi notiones à Senſibus proficiſci nequeant, inde patet, quòd cùm nihil à Corporibus ad mentem noſtram niſi per *Motum*, ut antea demonſtratum eſt, perveniat, nihil autem affinitatis ejuſmodi Ideæ cum motu habeant,

habeant, à Corporibus provenire non poſſunt. Quicquid Senſatione, et Imaginatione cognoſcitur materiale eſſe oportet.

LXXXIV. Virtutes nullo Senſu poſſunt exhiberi.

Deinde *Virtutes*; quibus vitia adverſantur, nulla viſibili ſpecie nobis innoteſcunt, ſive in Senſus noſtros non incurrunt. Quis *Intelligentiam*, exempli cauſa, quæ eſt aſſenſus propter ſolam evidentiam datus, Corporea aliqua *Imagine*, ſibi exhibere poteſt? Cùm ſit Cognitio purè apprehenſiva, et ipſummet Judicium explicitum refugit. An Sonus aliquis Aures noſtras permeat, dum *Juſtitiam* attendimus, et ut conſtantem et perpetuam Voluntatem jus ſuum cuique tribuendi contemplamur? Num Halitus vaporíſve aliquid ad nares tranſmittitur, aut quid manu attingitur quod delectet, dum *Temperantiæ* Idea nobis occurrit? Aut *Veritas* ipſa, quam tantopere exoptant Philoſophi, ſe ſub ſenſibili forma exhibet, dum illam ut Cognitionis conformitatem cum ſuo objecto conſiderant? nihil minus; nihil enim à *Veritatis* comprehenſione magis arcet, quàm phantaſmatum turba, et rerum Senſibilium imagines, quæ prout Corporum naturam, aut eorum Affectiones referunt, varias opiniones, multiplicéſque errores menti noſtræ invehunt. *Virtutes* enim non ſenſu, ſed intellectu ſolo cognoſcuntur. Ita *Auguſtinus* libro ſexto de muſica. "Tria "ſunt, *inquit*, Rerum genera, quæ videntur: "unum Corporalium, ſicut hoc *Cœlum*, et "*Terra*, et quidquid in eis Senſus diſcer-"nit et tangit. *Alterum* ſimile Corporali-"bus, ſicut ſunt ea, quæ ſpiritu cogitata ima-"ginamur, ſive recordata vel oblata quaſi

"Cor-

"Corpora intuemur. *Tertium* ab utroque "diſcretum, quod neque ſit Corpus, neque "habeat ſimilitudinem Corporis, ſicut eſt *Sa-* "*pientia*, quæ mente intellecta concipitur, et "in cujus luce de ijs omnibus veraciter judi- "catur.

LXXXV. Item Scientiæ Nulla ſpecie Corporum exprimuntur.

Diſciplinas omnes ac Scientias ſi animo circumſpiciamus, quanta ocurrunt, quæ à Materia abhorrent, et quæ Intellectu Solo apprehenduntur? *Logica* quæ Regularum complexio eſt, quibus Mens Humana in ſuis operationibus ad Veritatem aſſequendam dirigitur: ſive quæ præcepta tradit, quibus clarè et diſtinctè percipiat, quomodo Judicia illa per Diſcurſum componere poſſit, nihil habet cum Senſibus commercii, et tota Rationi innititur. *Metaphyſica*, quæ res incorporeas ſpeculatur, et quæ propterea Supernaturalis, et naturalis *Theologiæ* nomen obtinuit, non niſi ad ea attendit, quæ omnis Materiæ ſunt expertia, et à Senſibus Longiſſimè remota. Vulgaris itidem Metaphyſica, ſeu potius *Ontoſophia*, quæ Entis quatenus Ens, eſt Scientia, ſive quæ tractat de Ente in communi, ejuſque Affectiones ſeu Attributa, Unitatem videlicet, Veritatem, et Bonitatem conſiderat, quæ de eo per principia complexa, ſive *Axiomata* demonſtrari poſſunt. At quis dicet *Ens* in communi, quodque omnes Categorias tranſcendit, ab ullo Senſuum noſtrorum deprehendi poſſe? At *Phyſiologia* in rerum Naturalium contemplatione ſiſtit, quæ generationi et Corruptioni ſunt obnoxiæ, ac proinde ſub Senſum cadentes, aut ſaltem ab Imaginatione perceptibiles. Licet Res corporeas per

Phan-

Phantaſmata intueri poſſimus, illa autem æternæ veritatis *effata*, quæ de Corpore naturali dantur, ab Imaginatione attingi nequeunt, Neque *Figuræ*, quæ Corporibus inſunt, et quales animo concipimus, à Senſibus deteguntur, ſed multò ſunt deteriores, ac ſolam in ijs habent Veritatis imaginem.

LXXXVI. Cogitatio noſtra nulla ſpecie corporali poteſt depingi.

Et ut ad Noſmet ipſos propius accedamus, quid evidentius, quid diſtinctiùs menti noſtræ objicitur, quam noſtra *Cogitatio* : illa enim ipſi inſita eſt, immo ipſiſſima eſt Mentis eſſentia, quæ ab illa non magis ſeparari poteſt, quàm à Corpore Extenſio. Hinc *Cogitatio* Mentis Humanæ, immò et cujuſvis Mentis Definitionem inſtar veræ Differentiæ ingreditur, ut quæ omni, ſoli, et ſemper Menti convenit. Per Cogitationem itaque intelligendum eſt id, quod nobis conſciis in nobis fit, et quatenus nobis *Conſcientia* ineſt. Unde quamvis de rebus cæteris quis ambigeret, nunquam tamen Cogitationem ſuam in dubium arceſſere poſſet, quòd neceſſe ſit ambigentem, ſentientem, imaginantem, paſſionibus affectum, cogitare. Verùm nullo Senſu hæc *Cogitatio* noſtra deprehendi poteſt, cùm ſubſtantiæ ſit ſpiritualis. Neque ullam illius picturam in Cerebro depingere poſſumus, cùm incorporea ſit, et omnem phantaſiæ vim effugiat.

LXXXVII. Dei Idea eſt a Senſibus independens.

Ex Mente mea probè inſpecta, alia obvenit de *Deo* Cogitatio, ſive de Ente ſummè perfecto, Infinito, Æterno, omnipotente *&c.* Quæ *Idea* ita cuilibet manifeſta eſt, ut ſive quis Deum exiſtere fateatur, ſive abnuat, ſe *Dei* Ideam animo complecti negare non poteſt.

teſt. Nam quomodo alterutrum facere poterit, niſi Ideam ſeu Conceptum rei illius, de qua ſermonem facit, habeat? Cùm ut ante inſinuatum eſt, nihil verbis exprimere poſſimus, intelligendo id quod efferimus, quin hoc ipſo, certum ſit, nobis ejus Ideam ineſſe, quod verbis illis ſignificatur. At *Deus* maximè intelligibilis eſt, et ſi ejus natura ſpectetur, manifeſtiſſimus; juxta illud Apoſtoli ad Romanos Capite primo: *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.*

LXXXVIII. Homo ad Deum cognoſcendum tanquam ſuum principale objectum fertur.

Enimuero cùm *Veritas* ſit Humani Intellectus objectum, id idcirco illum maximè afficiet, quod eſt maximè Veritas, ſive quod eſt eſſentialiter et originaliter ipſa Veritas; et quia Intellectus Humanus circa Deum primò verſatur, ſequitur, quod Homo natura ſua, omnium primò et maximè, ad primum et principale ſuum Objectum intelligendum feratur. Quia res quælibet ſuo primo et principali objecto perficitur et in eo ſolo maximè conquieſcit; ideò ſequitur ſummam Intellectus Humani perfectionem, in nullo alio objecto, quàm in *Deo* reſidere. Quia, ut ſcribit *Philoſophus* parte prima principiorum, Sectione decima nona. "Quamvis ſummas "Dei perfectiones non comprehendamus, quia "ſcilicet eſt de natura Infiniti, ut à nobis, "qui ſumus finiti, non comprehendatur, ni"hilominus tamen ipſas clariùs et diſtincti"ùs, quàm ullas res corporeas intelligere "poſſumus, quia Cogitationem noſtram ma"gis implent, ſuntque ſimpliciores, nec limi"tationibus obſcurantur. Si quæ autem, in cognitione eorum, quæ ad Deum pertinent,

obſcuritas et confuſio occurrat, ea ex eo oritur, quod cum Dei *Idea*, quatenus ut quidam perfectiſſimus intelligendi ac volendi actus concipitur, quædam alia partim ex natura noſtra, partim ex aliis rebus corporeis miſceamus. Sed quia talis mixtura, à noſtra Voluntate pendet, eam facilè emendamus. Quemadmodum in Gentilibus nonnullis, et cotidiè in Chriſtianis experientia docet.

LXXXIX. Quid Dei nomine gentes intellexerunt ſapientiores.

Nam *Gentiles* ſapientiores nihil aliud Dei nomine intellexerunt, quàm Subſtantiam quamdam Vivam, perpetuam, ſummè potentem, Infinitam, ubique præſentem, ubique totam, nuſquam incluſam; uno verbo, *Subſtantiam ſummè perfectam*, et in qua nihil planè intelligitur, quod defectum aliquem, ſive perfectionis limitationem involvat. Quare enim nemo quantumvis ingenio obeſus *Lapidem*, et *Arboris truncum*, nullo motu, nullo ſenſu, aut ratione præditum, Deum, eſſe exiſtimat? Quia nimirum Res illæ nimis imperfectæ ſunt, quam ut eis, ea, quæ ad ſummum Numen conſtituendum requiritur, præſtantia conveniat. Quod autem *Barbari* quidam ligna, aut lapides, aliave infima pro Diis habuerint, id factum eſt, quod hujuſmodi Corporibus, Numinis aliquid peculiari ratione præſens eſſe perſuaſum haberent. Eſt enim Rationi et Lumini naturali adverſum, quod quis *Saxa* mera; aut *Belluas* meras, aliaque infimæ conditionis pro Diis agnoſcat, et ad ea precibus et Religione confugiat, quæ viribus et potentia ſe inferiora comperit. Neque potuerunt *Gentiles* Deo clarè et diſtinctè cognito, quippiam infirmitatis, aut perfectionis

onis limitationem adſcribere, cùm in Dei conceptu omnis perfectio contineatur, ac proinde omnem defectum excludat.

Si ingeras, Paganos pro Deo habuiſſe, quod tamen non ut ſummè perfectum venerarentur; cùm ut quid pro Deo agnoſcatur, ſufficit, ſi in eo tot perfectiones appareant, quæ ad Cultum naturalem fundandum ſatis ſit. Quemadmodum nonnulli hodiè reperiuntur, qui *Chriſto* Divinum honorem exhibent, quamvis eum ſummè eſſe perfectum inficientur, et Patri ſimilem potiùs, quàm parem ſive æqualem admittant. Reſpondeo, nunquam *Gentiles* exiſtimaſſe aliquid Deum ſummum eſſe poſſe, quod non omni ex parte perfectum; ſed temerario et cæco auſu, necnon *Ididolatriæ* ſpiritu abrepti, id Dei nomine nuncuparent, quod non ſummè perfectum eſſe, probè ſcirent. Id *Superſtitioni*, non claræ et diſtinctæ perceptioni dandum eſt, quod cultu proſequerentur; quod natura Deus non eſſet. Neque rectiùs quis probaret, *Dei* ſummi nomine, non intelligi Ens ſummè perfectum, quia Pagani Res, quas non ſummè perfectas eſſe cognoſcebant, pro Diis habuerint, quàm ex hodiernorum Ididolatrarum Superſtitione, qui neſcio cui rei reverentiam exhibent, et non niſi pro numine habent, quia aliquid Divini ei ineſſe arbitrantur.

XC. Pagani nunquam pro Deo ſummo habuerunt res imperfectas.

Quantum ad Illos, qui *Chriſtum* Divinis honoribus colunt, quamvis Hominem duntaxat, et Creaturam eſſe profiteantur, idem illis quod *Gentilibus* Ididolatris evenit, cùm de re aliter judicant, quàm percipiunt et intelligunt. Nam velint nolint, Naturæ lumine evicti, fateri

XCI. Sociniani honorem Chriſto non tanquam Deo exhibent.

fateri adiguntur, tot in Dei *Idea* perfectiones contineri, ut in Hominem cadere non poſſunt. Et quamvis multas et eminentes perfectiones *Homini* aſſignare poſſimus, nunquam tamen, Conceptu Hominis manente, perfectiones Divinas ipſi adſcribere poſſumus, quin illicò *Hominis* Idea evaneſcat. Quarè qui *Chriſto* honorem exhibent, Divinum, neceſſum eſt, ut illum pro Deo habeant, et Patri Deo ſummo ita unitum ut quicquid poſſidet Pater, id Filio ſit communicatnm. Ac proinde hoc inter *Socinianos* et Orthodoxos diſcrimen intereſt, quòd Hi Chriſtum omnia illa obtinere velint, quæ pater poſſidet; Illi autem ut Hominem tantùm reſpiciant, ſed quem Pater ita pro dilecto habet, ut per ſummam ſuam potentiam, ea omnia operetur, quibus *Chriſtus*, utpote purus Homo ad mediatorium Munus ſuum explendum, indiget. Et eo ipſo *Sociniani* Chriſtum non Deum eſſe, ſed Creaturam meram agnoſcunt, quam Deus verus ſingulari amore complexus eſt; quæque nihil poſſidet, quod Creaturæ perfectionem excedat, aut ſuperat. Non igitur Argumentum è *Socinianorum* Doctrina petitum, quicquam contra id quod de Dei *Idea* antea dictum eſt, roboris aliquid habet, niſi putent *Chriſtum*, quem pro puro Homine habent, opera Divina ex ſe, et per Humanam ſuam Naturam explere: tunc reipſa naturam Divinam in Chriſto agnoſcunt; quamvis id verbis inficiantur, et Dei et Creaturæ Ideam confundunt.

XCII. Deus cum cogitari poſſit, de Eo poſſumus habere Ideam.

Cùm igitur cuncti Mortales in hoc conſentiant, quòd *Dei* nomine, Ens ſummè perfectum intelligatur, clarè deducitur, ejus Ideam

eam nobis adeſſe, aliàs nemo Deum Cognoſceret, neque quid Dei vocabulo ſignificatur, intelligeret. Nam quamvis mihi notum eſſet, Deum non eſſe *Creaturam*, non ideo Naturam aliquam intelligerem, quæ à Creatura differt, multo minus intelligerem aliquid Creatura perfectius. Rei enim negatio, ad Rei poſitivæ notitiam nos non evehit. Et quamvis Infinitum non comprehendi, apprehendi tamen poteſt. Sic ſenſere Philoſophi, dum Deum definierunt, *Id maximum eſſe, quod cogitari poteſt*. Quibus verbis ita inferre licet: ſi Deus cogitari poteſt, igitur Idea Dei, notio Dei, conceptus Dei haberi poteſt. Quippe ſi *Ideæ* vox eo modo intelligatur, quo dixi, me illàm accipere, nec in quorumdam homonymia excuſatio quæratur, qui eam ad rerum materialium Imagines, quæ in phantaſia formantur, reſtringunt, à nemine negari poteſt, ſe aliquam Dei Ideam habere, niſi dicat ſe non intelligere, quid hæc verba ſignificent: *Res omnium, quas concipere poſſumus perfectiſſima*; Hoc enim eſt, quod frequentiùs apud omnes Homines Dei nomine venit.

Quòd ſi fortaſſis dicat Quiſpiam, ſe non intelligere, quid ſignificent Voces omnium ore tritæ; eſt ſe, ut alienam oppugnet ſententiam, in miras anguſtias conſtringere. Adde quòd ſit hæc omnium, quæ fingi poſſunt, maximè impia Confeſſio, de ipſo dicere, eo ſenſu quo *Ideæ* nomen accepi, ſe nullam Dei Ideam habere. Hoc enim eſt non ſolum profiteri ſe Illum naturali rationi non cognoſce-

XCIII. Impium eſt dicere ſe non habere Dei Ideam.

re, ſed etiam ſe nec Fide, nec ulla alia via quidquam de illo poſſe ſcire: quia ſi nullam *Ideam*, id eſt, nullam perceptionem habeat: quæ ſignificatui hujus vocis *Deus* reſpondeat, quantumvis profiteatur ſe credere Deum eſſe, iſtud perinde eſt, ac ſi dicat, ſe credere nihil eſſe, et ita, in Impietatis et extremæ ignorantiæ abyſſo demerſum jacere.

XCIV. Agnoſcunt paſſim philoſophi nos habere Ideam Dei.

Aliter ſenſere tum Veteres, tum Moderni *Philoſophi*, qui nos Dei Ideam habere contendunt. Et ne tempus inutili eorum citatione teram, omnium loco ſit *Ariſtoteles* Libro ſecundo Metaphyſices, capite primo et decimo. Ubi variis Argumentis, oſtendit cauſam primam, ſive Deum eſſe maximè intelligibilem, et ut ejus verbis utar, *Natura ſua manifeſtiſſimum*. Unde *Fonſeca* in Metaphyſic. Libro primo, capite ſecundo. "Poſſumus, *inquit*, nos etiam dum in hac vita ſumus, Subſtantias ſeparatas, atque adeo Deum Opt. Max. Intelligere propriis Conceptibus, quique aliis rebus accommodari non poſſunt, qno pacto concipimus Deum conceptu Entis Infiniti, Actus puri, ſummi Boni, et ſimilibus. Nam ſi quæſiero, an detur Ens ſummè perfectum, ſive Subſtantia Infinita, Æterna, omnipotens, à ſeipſa exiſtens, quid reſpondebit Adverſarius? Si affirmet aut neget, ſciens quid dicat, Cogitationem habebit, ſive Notionem de tali ac tanta Subſtantia, quippe quam exiſtere ait, aut negat. Si reſpondeat ſe neſcire, an ideo neſciet, quia quid nomine Entis perfectiſſimi ſive Dei ſignificetur, ignorat, ac perinde ſit ac ſi quæſitum foret, an detur *Sindapſus*, aut ſimile fictum Vocabulum?

bulum? nemo sanæ mentis dixerit. Ergo *Quæstio* de Dei existentia nunquam moveri, nec intelligi posset, nisi Dei conceptus haberetur, hoc est, nisi intelligeretur, sive animo apprehenderetur, quod quæritur, Subjectum.

XCV. Idea Dei non potest a Sensu proverire externo.

Cùm igitur Cogitationem, seu Ideam de *Deo* habeamus, in quantùm res est omnimodè perfecta, (Nam quis nisi mentem exuere velit, rationemque prorsus ejurare, quin animum objecto sic descripto intentum habens, de re illa jam cogitet, quam Deum nuncupamus) quis obtundet illam à *Sensu* aliquo externo proficisci? Nam cùm Sensus in Corpore nihil sint præter motum Materiæ seu organorum, Motus autem nihil præter motum ejusdem naturæ efficere queat, Mens verò istius recipiendi capax non sit, patet non modo notitiam nullam à Sensibus in Mente effici, sed et nihil prorsus ut ut quàm minimum fingi posse. Certè non à *Tactu*, *Gustu*, vel *Odoratu* Dei Idea arcesciri potest. Non nobilioribus aliis etiam Sensibus, qui licet unus Disciplinæ, alter experientiæ deputetur, cum organa Corporea sint, Deum, qui est Actus purissimus, exhibere Menti nostræ non possunt, sive Cogitationem de summo Ente illi imprimere.

XCVI. Neque ab Interno.

Neque prædicta Dei Idea à Sensu *interno*, seu Imaginatione formari potest; hæc enim non nisi Corporeum apprehendit, et cujus Magnitudinem, et Figuram nobis repræsentare possumus. Et in hoc ab *Intellectu* distinguitur, quòd is multa concipiat, quorum species in Imaginationis, aut Sensus organo non delineatur; Quando autem imaginamur,

Mens ſe ad Corpus convertit, ut ibi Objecti picturam et effigiem contempletur, et tanquam oculis præſentem conſideret. Hinc externa *Idololatria*, qua Statuæ Materiales, coluntur, non aliunde ortum habuit, quàm ex eo, quòd in Deo concipiendo, Hominis Mens ſe ad Imaginabilia converterit, et inde quas finxit Imagines, typo externo exprimere non dubitavit. Sœpiùs Sanctus *Auguſtinus* conqueritur, quòd ab hujuſmodi Infantiæ *præjudiciis* ſe liberare vix potuerit, ut Confeſſionum libro quarto, Capite decimo quinto. "Quòd "corporalibus Imaginibus contenebratus non "potuit capere ſpiritualia. Et converti me, "*inquit*, ad Animi naturam, et non me ſine-"bat falſa Opinio, quam de ſpiritalibus ha-"bebam, verum cernere. Et irruebat in Ocu-"los meos ipſa vis veri, et avertebam pal-"pitantem Mentem ab incorporea re, ad li-"neamenta et colores et tumentes Magnitu-"dines. Et quia non poteram ea videre in "Animo, putabam me non poſſe videre Animum meum. Et alibi: "Et quoniam cùm de "Deo meo cogitare vellem, cogitare niſi mo-"les Coporum non poteram, neque enim vi-"debatur mihi eſſe quicquam, quod tale non "eſſet.

XCVII. Neque ex prævia rerum Corporalium Viſione.

Erunt fortaſſis qui dicent, *Ideam* illam, quam de ſummo Ente habemus, ex rerum Corporalium prævia inſpectione formari poſſe. Verùm id non veriſimilius videtur, quàm ſi quis crederet, nullam nos audiendi facultatem habere, ſed ex ſolo *Colorum* aſpectu, in Sonorum perceptionem devenire; plus enim affinitatis ac ſimilitudinis cogitari poteſt,

poteſt, inter *Colores* et *Sonos*, quàm inter Deum et Entia Corporea; ac proinde ex eo. quòd, res Corporeas videndi facultate præditi ſumus, nulla ratione deducitur, quòd idcirco, Vis ad Deum intelligendum nobis inſit, eundemque actu intelligamus. Quamvis fateri non recuſem, quòd ubi priùs Cogitationem de *Deo* habemus, poſſimus in ejuſdem cognitione, ex rerum naturalium intuitu plurimùm promoveri: Sed inde prima et principalis illius origo fruſtra arceſſitur. Certè nihil eorum, quæ *Deo* formaliter tribuuntur, hoc eſt, nulla Dei perfectio talis, qualis in eo apprehenditur, à rebus corporeis et ſenſibilibus, tanquam ab Exemplari proficiſci poteſt, quoniam nihil ijs ſimile in *Deo* eſt, quæ in rebus corporeis reperiuntur.

XCVIII. Neque a parentibus, ab Inſtitutione, aut Sacra Scriptura, Dei Idea hauritur.

Neque illi ſolidius loquuntur, qui dicunt de *Deo* Cogitationem à parentibus, ab Inſtitutione, aut ex ſacris Codicibus nos accipere; nam quantum ad *Parentes*, cùm eorum eadem, quæ noſtra, eſt natura, non illi aliter eam *Ideam* acquirere potuerunt, quam nos eam comparavimus. Idem de *Doctrina* et Inſtitutione, dicendum; quamvis enim Aliorum Inſtitutio cauſa eſſe poſſit, ut ea accuratiùs exploremus, quæ in nobis occurrunt, quódque Animæ noſtræ facultates ita exeramus, ut ad Dei notionem attendamus, *Inſtitutio* tamen noſtra, Ideam Rei Infinitæ ſuppeditaſſe non potuit. Quippe ſi ante omnem Inſtitutionem humanam, nobis facultas non eſſet, rei Infinitæ Ideam excitandi, abſolutè incapaces eſſemus infinitum quippiam intelligendi. Quantum denique ad Sacram *Scripturam*: Ideò Scrip-

Scripturæ Sacræ fidem habemus, quia eam eſſe verbum Dei credimus, ut verò aliquod Dei Verbum extare credamus, neceſſe eſt, ut priùs credamus *Deum* eſſe: evidens enim eſt, nihilum non loqui. Exiſtentiæ igitur Divinæ Cognitio, prior eſt Cognitione Revelationis, et ab ea ſupponitur.

XCIX. Idea quam de Deo habeo non eſt a me efficta.

Quid igitur, eſt illa Cogitatio de Deo à me efficta? Nequaquam. Non enim ei, quemadmodum antea de *Equo alato*, *Centauro*, *Cyclope* dictum eſt, plura pro lubitu, affingere, aut detrahere poſſumus, unde ſequitur non eſſe fictitiam, ſed veræ atque immutabilis naturæ repræſentatricem. Quamvis enim novæ in *Deo* perfectiones, naturæ vel gratiæ ſupernaturalis lumine, mihi oſtendi poſſint, quas ante non animadverti, non tamen quippiam meæ de ſummè perfecto *Cogitationi* additur, ſed tantùm Cogitatio hæc clarior ac diſtinctior evadit, dum has et illas perfectiones, in Deo recens agnoſco, quæ tamen omnes in ea, quam antea de *Deo* habui, Cogitatione implicitè Continebantur. Sicut non augetur Cogitatio mea, quam habeo de *Triangulo*, cùm variæ in eo proprietates deteguntur.

C. Sed menti noſtræ innata.

Itaque quùm ea, quæ nobis, ineſt de *Deo* Cogitatio, neque a Senſu tàm Interno, quàm Externo, neque ab Hominum Traditione et Doctrina, neque ab ipſiſmet literis Sacris hauriatur, ac demum neque à me ſit efficta, ſequitur quòd menti meæ ſit *ingenita*, ſive quòd Deus me creando, iſtam de ſe cogitandi Facultatem indiderit, qua inter alia, abſolutam ipſius Immenſitatem et Unitatem cuncta alia Attributa complectentem, ſic mihi repræſento, ut nullum eorum veſtigium alibi reperiam.

am. Nec ſane, mirandum, quòd Deus per *Creationem*, talem in me ſui, ut dicam effigiem intellectualem expreſſam reliquerit, quàm quòd peritus *Artifex* præſtantiori ſuo Operi, per ejus productionem, Notam imprimat, ex qua et ipſe ab aliis opificibus, et opus tale ab operibus aliis dignoſcatur. Ex hoc enim ſolo, quòd me *Deus* condiderit, rectè infero, me ad ejus Imaginem et ſimilitudinem quodammodo factum eſſe: omnis namque Effectus, ſuæ Cauſæ ſimilis eſt, illi præſertim, quæ ipſum eſſe totum largitur; talem autem mei cauſam Deum eſſe intelligo. Nihil obeſt, quòd à quibuſdam objicitur, res *corporeas* aliquam inde ſimilitudinem cum ſuo Creatore habituras. Quoniam Similitudo illa nonniſi exigua et valdè remota eſt, utpote in generalibus *Attributis* conſiſtens, in quibus res corporeæ etiam cum mente mea conſentiunt. Ego vero, qui ex Dei creatione plura habeo, qui ſum *Subſtantia Cogitans*, et cogitando meum mihi Creatorem, et res alias quaſlibet mihi repræſento, ſingulari ratione Dei *imaginem* gero.

Dum igitur Mens mea ſemetipſam contemplatur, non modò intelligit, ſe eſſe Rem multis defectibus obnoxiam, et ab alio dependentem; at ſimul etiam intelligit eum, à quo pendet, majora iſta omnia non virtute tantùm, ſed reipſa infinitè poſſidere, atque ita Deum eſſe. Unde interroganti *Gaſſendo*, quas putaret *Carteſius* mentem ejus habituram fuiſſe Dei et Sui Ideas, ſi ex quo infuſa eſt in Corpus, manſiſſet huc uſque, in eo clauſis oculis, et abſque ullo aliorum *Senſuum* uſu:

CL. Cæcus clariorem habere poteſt Dei Ideam, quam Videns.

Inge-

Ingenuè et candidè reſpondit Philoſophus, ſe non dubitare (modò ipſam in cogitando non impeditam à Corpore, ut neque etiam adjutam ſupponamus) quin eaſdem, quas nunc habet, Dei et Sui *ideas* fuiſſet habitura, niſi tantùm quòd multo puriores et clariores habuiſſet. Quia mens Humana tanto artificio inſculptam habet ſui Creatoris notam, tam profundè impreſſam, ut niſi cum mente ipſa tolli nequeat.

CII. Subſtantia non poteſt ex Senſibus percipi.

Maxima Philoſophorum pars facilè annuet, mentem Humanam neque Deum, neque quaſvis res alias intellectuales *Senſuum* interventu percipere poſſe, quoniam Senſus eam in multis impediunt, ac in nullis ad illas percipiendas juvant. Verùm eo ægrè adducentur, ut concedant, res Corporeas Senſuum miniſterio non apprehendi, cùm eorum objecta habeantur, et Eorum impreſſiones Animæ repræſentent. Si verò res preſſiùs examinetur, luce clariùs apparebit, ne quidem res Corporeas Senſu, aut Imaginatione, ſed *Intellectu* ſolo attingi, ſeu percipi. *Subſtantia* enim, exempli cauſa, in Senſus ſeſe non inſinuat neque eos afficit; ſed ſuis Accidentibus, quibus amicta, ſe manifeſtat. Nam cùm Corporum particularium *eſſentiæ*, omnium confeſſione, Senſibus non ſint obviæ, quomodo per eos cognoſcentur. *Color* enim, *Figura*, durities, mollities, calor, frigus, et cætera Accidentium agmina, non ſunt Subſtantia; ſed Subſtantiæ *Accidentia*, ſeu *Modi*. Id enim Subſtantia eſſe intelligitur, quod hiſce omnibus quaſi ſubſternitur; quodque ſolùm Intellectu percipi, quilibet experiundo cognoſcet.

noſcet. Immò inter ipſa Accidentia multa ſunt, quæ Senſus non deprehendit, ut ſunt *Pori* infiniti, et minimorum Corpuſculorum intervalla; Item *Figuræ*, ſtructura, et magnitudines quædam, quæ ſœpe Senſum fugiunt, et ſolo rationis judicio cognoſcuntur. Solæ *Qualitates* ſunt, quas vulgo Senſibus ita Manifeſtas putat. Atqui has omnium Senſibus minimè percipi, in Inſtitutione Philoſophiæ demonſtratum reperies.

CIII. Quæ ſunt, quæ a Senſibus rectè percipiuntur.

Quid igitur tandem *Senſus* rectè percipit? Reſpondeo, ſolas Corporum, quæ ſatis magna et propinqua ſunt, Magnitudines, Figuras, item Motum, Quietem, Situm, Diſtantiam, quæ ſanè valde pauca ſunt, et non faciunt ullam ſcientiæ Philoſophicæ partem. Et ne *hæc* quidem ſolo Senſu percipi, *Carteſius* cùm opticis extra dubitationem poſuit; Intellectus et rationis ad Senſuum perceptionem accedentis eſt, talia comprehendere. Deinde demus Senſus comprehendere, nunquam tamen plenè et perfectè qualia in ſe ſunt comprehendunt. Quia Senſuum ſpecies, ſeu Ideæ noſtræ Cogitationi purè et ſincerè non imprimuntur, ut rerum realitatem omni ex parte exprimant, ſed prout Organorum interventu, imprimi et exprimi poſſunt, ſecundùm Canonem Philoſophicum: *Agens agit pro capacitate, ſeu receptivitate patientis.* Atqui impoſſibile eſt, ut patiens corporeum, ex partibus ſatis craſſis compoſitum, motus omnes ſubtiliſſimos, et minima rerum diſcrimina recipiat et repræſentet. Ergo quicquid patientis corporei interventu, mens noſtra percipit, non quale in ſe eſt, ſed *relativè* tantum quale nobis repræſentari poteſt, percipitur. At vero

Intel-

Intellectus eſt, puras et ſinceras rerum Ideas percipere, et Rerum realitatem, qualis ea in ſe eſt, repræſentare.

CIV. Corpus etiam particulare neque Senſibus neque Imaginatione percipitur.

Quod non ſolùm de Corpore universè conſiderato, verum eſt, ſed et de uno, ſigillatim, et in ſpecie ſumpto. Sumamus, exempli cauſa, hanc *Ceram*, quæ nuperrimè ex favis, per Mellis expreſſionem educta, nondum *Mellis* ſui Saporem amiſit, nonnihilque grati odoris Florum tuetur, ex quibus ab *Apibus* collecta eſt. Ejus Color Viſui, figura et magnitudo Tactui pariter ac Viſui obvia ſunt: dura eſt, frigida eſt, et ſi digito percutiatur, *Sonum* edit. Omnia denique ſenſibilia adſunt, quæ requiri videntur, ut Corpus aliquod quam diſtinctiſſimè cognoſci poſſit. Interim, me hæc Animo volvente, *Cera*, igni admovetur, Saporis grati reliquiæ per coctionem avelluntur, expirat Odor, Color mutatur, Figura prior exulat, magnitudine augetur, liqueſcit, et ſi denuò verberes, Sonum amplius non emittit. Et tamen *Ceram* remanere nemo abnuet. Quid ergo in *Cera* erat antea, quod tam diſtinctè comprehendebatur? Sanè nihil eorum, quæ Senſibus percipiendo judicandove deprehendebam. Nam quæcumque Guſtu, vel Olfactu, vel Viſu, uel Tactu, vel Auditu attingebantur, jam mutata ſunt, et eadem tamen ſupereſt *Cera*, ſive illud ipſummet, quod ſub prædictos Senſus non veniebat. Quidnam illud eſt? Certè id aliud eſſe nequit, quam Extenſum aliquod, flexile, mutabile, quod in *Cera* manet. Quodque Identitatis, quam in ea conſideramus, eſt fundamentum. Concedendum eſt igitur, me antea non vidiſſe, nequidem

dem imaginatum fuiſſe, quid ſit hæc *Cera*. Hoc ipſum dico extenſum et mutabile, quod manſit, nec mutatum fuit, ſed *Mente* ſola apprehenditur.

CV. Id exemplo Hominis per feneſtram viſi confirmatur.

Alio Exemplo id fiet illuſtrius: dum fortè ex feneſtra Proſpicientes, *Hominem* in platea gradientem conſpicimus, non ejus naturam Senſatione, ſed *Intellectione* dumtaxat aſſequimur. Quippe non illa Membrorum craſſiorum *compages*, aut externa alia, cujuſmodi ſunt *Veſtes*, *pallium*, *pili*, hujuſce Hominis Naturam conſtituunt, cùm ſub illis *Automata*, ſive Machinæ quæcumque Arte huc illuc motæ latere poſſent; quemadmodum videmus *Agyrtis* familiare, pupas ſaltantes, et diſcurrentes ſtupenti multitudini oſtendere. Sed in eo ſita eſt Hominis natura, quòd de illo Intellectus concipit, ſive quòd judicandi facultate, quæ in Mente noſtra eſt, id quod exterioribus illis involucris tectum apparet, *Hominem* eſſe exiſtimat ac decernit. Itaque non Hominem videmus, ſed Corporis Humani, quod offertur, occaſione, Hominem eſſe judicamus. Nam id quod ſe Senſibus inſinuat, mentique anſam præbet Hominis *Ideam* ex ſe excitandi, non minùs ab ejus conceptu differt, quam vox *Homo*, à conceptu Hominis diſtinguitur.

CVI. Figuræ mathematicæ non per Senſus cognoſcuntur.

Id quoque evidentiùs in *Figuris* Mathematicis oſtenditur, quarum *Ideæ* nunquam Senſuum beneficio, quamvis id vulgo ſibi perſuadeant, nobis allabuntur: Etſi enim haud dubiè, dari poſſint in Mundo, quales à *Geometris* conſiderantur, nego tamen ullas dari circa nos, niſi fortè tàm minutas, ut nullo modo

modo Sensus nostros attingant: Nam componuntur, ut plurimùm, ex lineis rectis, at nequidem unquam ulla pars lineæ, quæ revera recta esset, *Sensus* nostros movit, quippe cùm illas, quæ maximè rectæ nobis visæ sunt, pulicario perspicillo examinamus, planè irregulares, et undulatim ubique incurvas esse deprehendimus: Ac proinde cùm primùm olim in Infantia, *Figuram Triangularem* in Charta depictam aspeximus, non potuit illa Figura nos docere, quo pacto verus *Triangulus*, ut à Geometris consideratur, esset concipiendus, quia non aliter in ea continebatur, quàm velut in rudi ligno *Mercurius*. Sed quia jam ante in nobis erat Idea veri Trianguli, et facilius à mente nostra, quàm magis composita Figura picti Trianguli concipi poterat, idcirco visa ista Figura composita, non illam ipsam, sed potiùs verum *Triangulum* apprehendimus.

CVII. Ut pateat in Charta in lineolis depictis Hominem exhibentibus.

Eodem planè modo, quo dum respicimus in Chartam in qua lineolæ atramento ita ductæ sunt, ut *Hominis* faciem repræsentent, non tamen excitatur in nobis Idea istarum lineolarum, quàm Hominis: quod omnino non contingeret, nisi facies Humana nobis aliunde nota esset, ac nisi essemus magis assueti de illa, quàm de *lineolis* istis cogitare, quippe quas sæpe etiam, cùm aliquantulum à nobis remotæ sunt, ab invicem distinguere nequimus. Ita sane *Triangulum* Geometricum ex eo qui in Charta pictus est, Agnoscere non possemus, nisi aliunde Mens nostra ejus Ideam habuisset. Et quidni *Euclidis* Elementa, alteriúsve

riúſve Geometricæ Meditationes, exquiſitè addiſci poſſent, veræque Demonſtrationes intelligi, utcunque, Figuræ minùs accuratæ ſint in charta depictæ? Sanè cùm demonſtramus *Figuras* tales eſſe debere, quales tamen Oculo non repræſentantur, manifeſtum eſt nos earum Ideas non à *Viſu* accepiſſe, ſed jam in Animo habuiſſe.

CVIII. Multæ Figuræ mathematicæ Senſu non Deprehenduntur.

Si quis fortean in ea perſtet ſententia, *Trianguli* Notionem, per Senſuum organa nobis adveniſſe: quid de illis *Figuris* ſentiet, quæ ſexaginta, nonaginta, centum, ducentis, mille et ſexcentis lateribus continentur? profectò varias, et æquè certas ac de *Triangulo*, de hujuſmodi Figuris proprietates licet demonſtrare; exempli gratia: *Figura ducentis lateribus conſtans*, duplo plus Angulorum habet, quàm ea quæ centum, triplo minus quam ea quæ ſexcentis continetur lateribus, propiùs ad Circularem Figuram accedit, quam ea quæ paucioribus lateribus comprehenditur, *&c.* Quæ ſanè *Proprietates* omnes ſunt veræ, non fictæ, quoniam perſpicuè à nobis intelliguntur, ut uno eodemque ſemper modo ſe habentes: quòd alio ſe modo habere poſſint, neutiquam cogitando aſſequor, ideóque omninò aliquid ſunt reale et poſſibile, non merum nihil et impoſſibile. Unde patet, ipſa Corpora, et quidem ſingularia, non propriè à Senſibus externis, neque etiam ab Imaginandi facultate, ſed à ſolo *Intellectu* percipi, neque ex eo percipi, quòd tangantur, aut videantur, ſed tantùm ex eo quòd intelligantur.

CIX. Errant igitur illi, qui, cùm *Baculus* in Aqua fractus, ob refractionem apparet, existimant Errorem illum *Sensui*, non ratione corrigi. Nam quamvis ex *Tactu* Baculum rectum esse judicemus, idque eo judicandi modo, cui ab Infantia assueti sumus : Hoc tamen ad Errorem emendandum non sufficit, sed insuper opus est, ut rationem aliquam habeamus, quæ nos doceat, hac de re judicio credendum esse ex *Tactu* potiùs, quàm ex Visu elicito. Quæ ratio cùm in nobis ab Infantia non fuerit, non Sensui sed tantùm Rationi tribuenda est. Ex quibus manifestum est, pleraque Judicia, niti, non eo, quod *Sensu* hausimus, sed eo, quod Ratione sumus assecuti; hoc est, Veritatibus, notionibus communibus, rebus conclusis, et judicatis *&c.* quæ lumine naturali nobis insito cognoscimus; et quæ judicia longè certiora sunt, quàm quæ Sensibus innituntur. Exempli causa, cùm duas *Solis* Ideas habeamus, unam *Sensu* Visus haustam, qua illum parvum Luminare percipimus, alteram *Intellectu* et Ratione Astronomica collectam, qua illum Terra multo majorem esse intelligimus; Ratio persuadet Ideàm illam *Soli* maximè esse dissimilem, quæ quàm proximè à Sensibus profecta est. Et sic per singula progrediendo, ostendere in proclivi esset, *Ideas*, quas tanquam per Sensus formamus, sæpius rebus esse dissimiles, quas autem Ratione colligimus, esse semper iis consentaneas, multòque certiorem notitiàm gignere. Et hæc est Ratio, quare *Sensuum* Judicio non temerè standum, asserimus, sed adhibendam esse Rationem, qua res Sensus exhibitæ dijudicentur.

Baculus in Aqua non sensu rectus judicatur, sed ex Ratione.

Præ-

Præterea, Multa ſunt Corpora, quæ ſua ſubtilitate, ac exiguitate *Senſus* noſtros planè effugiunt, ut vel ex ſubtiliſſimis *Acari* Membris, et ex ſpirituum Chymicorum tenuitate, vaſa vitrea penetrantium, liquet. Immò ne ullum quidem Corpus exiſtit, quin planè inſenſile ſit, dummodo in particulas, Nervorum noſtrorum partibus multò minores, et ſingulas ſeorſim ſatis celeriter agitatas diviſum fuerit. Nihil quippe Senſum in nobis efficere poteſt, quin membrorum noſtrorum *Nervos* moveat: At Nervi non ſunt minutiſſimi, ſed funiculorum inſtar, è multis particulis minoribus conflati; nec proinde à minutis admodum Corporibus moveri poſſunt. Ergo valde minuta Corpora, non ſunt ſenſilia.

CX. Corpora dantur adeo ſubtilia, ut ſub Senſum non cadant.

Ex dictis conficitur, non tantùm univerſaliter falſum eſſe, nihil Intellectui noſtro occurrere, quod antea in Senſibus non fuerit, ſed fermè nihil *Idearum*, Etiam Rerum corporearum, earúmve Affectionum, in mente eſſe, quod priùs fuerit in Senſibus. Qui intelligit quomodo *Doloris* perceptio, exempli gratia, in Animo noſtro excitetur, non magis credat Doloris Ideam, quippiam affine habere cum prava illa partium diſpoſitione in Corpore, cujus occaſione, Mens *Doloris* Ideam formet, quàm partium illa diſpoſitio, aliquid cognatum habet cum Gladio, quo Corpori vulnus inflictum eſt: aut quàm Sanguinis aut Spirituum motus, quorum occaſione Mens quaſdam paſſionum Ideas effingit, aliquid cum iſtis Ideis affine habet. Et cum antea demonſtratum ſit, nihil à Corporibus ad mentem quàm per *Motum* pervenire, agnoſcendum

CXI. Nihil ferè me in mente eſt quod priùs fuerit in Senſu.

dùm eſt, omnes ſaltem *Ideas*; quæ cum motu nihil commune habent, Menti noſtræ *innatas* eſſe; ac proinde mentem noſtram non eſſe Tabulam raſam cùm primùm exiſtere incipit, ſic ut quicquid Idearum prodeuntibus annis in ea experimur, id aut Obſervatione, aut Traditione acquiſierimus, ſed abundè conſtare, quòd ex ſe Mille *Ideas* formandi facultate inſtructa ſit, tanquam peritus Artifex, qui multas artificioſas Machinas ex divite et erudito ſuo ingenio fabricare poteſt.

CXII. Solius Intellectus eſt rerum naturas cognoſcere.

Cùm itaque de *Senſuum* erroribus apertè conſtet, et nunquam non fallamur, dum Judicio ultra perceptionem ſe extendente, plus de Ideis illis, quas eorum ope, accepimus, decernimus, quàm in ijs percipimus, ſequitur, ad *Intellectum* recurrendum eſſe, ad quem ſolum veritatis inveſtigatio pertinet, et cujus unius eſt, tam Singularium quàm Univerſalium, tam Corporearum quàm Spiritualium *Naturas* detegere. Ac proinde communem Certitudinis Humanæ Regulam eſſe debere, *Ut nihil tanquam verum admittamus, niſi quod clarè et diſtinctè verum cognovimus:* Hoc Canone ritè ſervato, nos ab Erroribus tuebimur: *Et ut omne quod clarè diſtinctèque percipimus, Verum eſſe judicemus*: qua ratione Veritatem aſſequemur. Adeò omnibus evidens eſt hæc Regula, ut nemo ſanæ mentis, eam in dubium arceſſat, niſi *Sceptiſſimum* affectet, et omnem de rebus Humanis ſcientiam velit ſublatam. Eorum enim omnium clarè et diſtinctè perceptorum talis eſt natura, ut fidem nobis faciant, vel potiùs, omnes hujus naturæ ſumus, ut quamdiu aliquid clarè et

diſtincte

diſtinctè concipimus, non nobis perſuadere Verum eſſe pon poſſimus.

CXIII. Variæ opiniones Scholaſticorum circa Regulam Sciendi.

Mirum! quod inter tot, qui omnibus ſeculis floruere, Philoſophos, nullus ante *Carteſium*, de hac Regula cogitaverit, ſed quilibet pro Ingenii ratione, diverſas aſſumpſerit *Regulas*, ſecundùm quas, certum de rebus Judicium proferri poſſe exiſtimabat. Alii enim quandam Naturæ propenſionem, Alii Gentium conſenſum, alii Naturale lumen, quod tamen non explicabant, aſſumpſere. Quæ Canonum diverſitas, præcipua, ne dicam, unica eſt inter Doctores, tot, ac tam diverſarum Sententiarum cauſa, quæque in æternum duraturæ fuiſſent, ni *Carteſius* via alia progreſſus fuiſſet, quam hactenus progreſſum eſt.

CXIV. Carteſii Regula unde omnium habuerit.

Sed unde hanc ſuam Veritatis normam deprompſit *Philoſophus?* Dicam paucis. Cum Veritati quærendæ totum ſe tradere pararet, nihil melius factu exiſtimavit, quam ſi omnia illa, in quibus vel minimam dubitandi rationem offenderet, ut in Præfatione præmonui, tanquam falſa amoliretur, ut exploraret, an illis remotis, aliquid ſaltem reperiretur, de quo dubitare planè non poſſet. Nam cum ſolidam et omnis ambiguitatis expertem Scientiam ſibi expeteret, quæ ejus Animum, quantum fieri poteſt, *immutabilem* redderet, neceſſarium videbatur, ut Philoſophiam ſuam ab immotæ Veritatis principio ordiretur. *Primò* itaque, quia longo uſu expertus fuerat, ſe à Senſibus, et præſertim nobiliori, *Viſu* nimirum, deceptum fuiſſe, Statuit, quicquid Unquam per Eos hauſerat, in Falſorum ag-

mine numerare. *Secundò*, animadverterat, nullam Rem Veram nobis, dum vigilamus, apparere, quin eadem etiam nobis dormientibus occurrere poſſit, cùm tamen tunc ſemper falſa, aut ferè ſemper falſa ſit: ac proinde ſuppoſuit, nihil eorum, quæ unquam Vigilans cogitaverat, veriora eſſe habenda, quàm ſint Somniorum Ludibria. *Tertiò*, quia viderat aliquando, nonnullos etiam circa res *Geometriæ* facillimas errare, atque idem illi accidere poſſe, quod Cuiquam alii poteſt, illas etiam Rationes, quas antea pro Demonſtrationibus habuerat, tanquam falſitatis ſuſpectas rejecit.

CXV. Illud omne Verum eſt, quod clare et diſtincte percipitur.

Verùm cùm animadverteret eum, qui de omnibus ſic ambigere contendit, dubitare tamen non poſſe, quin ipſemet exiſtat, dum dubitat, dum ambigit, quia videbat Veritatem hujus pronuntiati, *Ego Cogito, ergo Sum*, adeo certam eſſe ac evidentem, ut nulla tam enormis dubitandi ratio à *Scepticis* fingi poſſit, à qua illa non eximatur, credidit Se illam tutò poſſe, ut primum Philoſophiæ fundamentum admittere. Reperit enim tam facilem et evidentem eſſe menti cognitionem *ſui*, ut etiamſi velit, dum de Seipſo, ſive de mente ſua cogitat, fingere non poſſit, eam ſe non habere, quod tamen fingi et ſupponi de re quacumque alia poteſt. Ex hoc igitur ſingulari probè cognito, et cujus ratio ad ſimilia omnia excurrit, *Philoſophus* hanc generalem Regulam collegit: *Illud omne eſt mihi verum, quod valdè clarè diſtinctéque intelligo, five percipio.*

Quippe

CXVI. Quæ certa, quæ probabilia, quæ dubia æſtimanda.

Quippe de nulla re judicium proferre debemus, niſi qualem, de ipſis habemus Cognitionem; Ea nempè ut *certò vera* pronuntiando, de quibus *certa* eſt nobis cognitio, ea certò vera eſſe: Ea *probabiliter vera*, de quibus certò ſcimus, nos *probabilem* tantùm notitiam habere; Ea *dubia*, de quibus certò noſcimus, ea *ambiguis* tantùm Argumentis eſſe innixa. Nam nunquam de re qualibet temerè, ſed propter validas et evidentes Rationes, judicandum; non tamen de Quolibet cognoſcibili, certò aliquid ſtatuendum: ſic de re *dubia*, qua tali, ſtatuo judicandum non eſſe, judiciumque ſuſpendendum; de ipſâ etiam Rei *obſcuræ*, quatenus obſcura eſt, natura, nihil ſtatuendum eſt, aut determinandum. Unde *clara* atque *diſtincta* Cognitio, unicum et exploratum eſt Fundamentum, aliquid certò, et definitivè de re quacumque cognoſcibili ſtatuendi, immo *Lydius* eſt lapis, ad quem Veritas inveſtigatur. Nam etſi de Re obſcurè et indiſtinctè percepta, Verum judicium interdum faciamus, ſicque Judicium obſcuræ Cognitioni innixum, non ſemper falſum ſit; clara tamen ac diſtincta Cognitio norma eſt infallibilis, nos *rectum* et *verum* Judicium de Rebus protuliſſe. Et quamvis, ut præmonui, Judicium, quod obſcuram confuſamve Cognitionem ſequitur, verum eſſe queat, non tamen Temeritatis expers eſt, ſed Dei præcepto, ejuſque Voluntati contrarium, qui hanc nobis in judicando de Rebus præſcripſit Regulam, ut ijs dumtaxat tanquam certis Aſſenſum præbeamus, quorum perſpicuam et diſtinctam Cognitionem habemus. Is profectò non magis coram Deo delinquit, qui poſt impenſam aliquam in *Veri*

diſquiſitione induſtriam, nihilominus caſu ab illo deflectit, quàm qui ita temerè judicando, verum caſu fortuito obtinet, ſive adipiſcitur.

CXVII. Diſtinctio Rerum ex eo petitur, quod quid-quid clare et diſtincte percipio, eſt verum.

Ex his enim, quæ lumine naturali demonſtrantur, Nihil prorſus in Mente mea invenio, cui adeò in Judiciis faciendis, confidere poſſum, ſive cui æquè tutò poſſum judicia mea ſuperſtruere, atque *innatæ* clarè diſtinctéque aliquid percipiendi Facultati, quam *Naturale* lumen vocant; neque ullam Facultatem in me reperio, quæ judicia mea in clara diſtinctáque perceptione fundata, poſſit incerti aut falſi arquere. Proindéque meritò huic *Facultati*, ut ſummo *Cenſori* mearum Cogitationum defero, ut qualequodque ipſa clarè perceperit, perceptionique convenienter habendum oſtenderit, tale ſtatuam. Nam unde ſciemus, exempli cauſa, rem aliam ab alia realiter eſſe diſtinctam, niſi quia unam abſque altera clarè diſtinctéque percipiamus, ſive in hanc, ſive in illam *Mentis* aciem convertamus. Neque aliud realis diſtinctionis certius Argumentum aſſignari poteſt. Scimus enim omnia, quæ clarè diſtinctéque cognoſcimus, poſſe eo modo à *Deo* fieri, quo ea percipimus. Itaque ſi aliud abſque alio (Unum, inquam negando, et excludendo alterum) clarè diſtinctéque percipere poſſimus, nullum ſuccurrit dubium, quin *Deus* unum poſſit abſque altero ponere, hoc eſt, quin poſſit illa dividere ac ſeparare.

CXVIII. Diſtinctio mentis a Corpore oſtenditur.

Hinc *Carteſius* Meditatione ſexta, Mentis à Corpore diſtinctionem ex eo probat, quòd licet Corpus habeat ſibi valdè arctè conjunctum, quia tamen ex una parte claram et diſtinctam habebat ſui ipſius Ideam, quatenus

eſt

eſt tantùm *res Cogitans*, non Extenſa; et ex alia parte diſtinctam Ideam *Corporis*, quatenus eſt tantùm *res Extenſa*, non cogitans, inferebat mentem à Corpore eſſe diſtinctam, et abſque illo poſſe exiſtere, et per conſequens immortalem eſſe. Hanc autem, quæ eſt inter Mentem et Corpus, pro realis diſtinctionis exemplo attuli, quoniam illa mihi meliùs perſpecta eſt, quàm aliena. Et qui *Diſtinctionem* verè realem in his tanta propinquitate conjunctis animadverterit, multo faciliùs eam in aliis rebus, ex utriuſque clara et diſtincta perceptione obſervabit. Quippe ſi eorum, quæ antea de *Cera* dicta ſunt, recordemur, cognoſcemus, quod nequidem Corpora ipſa Senſu, ſed *Intellectu* percipiuntur, adeo ut aliud non ſit Rem aliam abſque alia ſentire, quàm unius Rei ideam habere; et intelligere Ideam iſtam non eandem eſſe Ideæ alterius; quod aliundè intelligi non poteſt, quàm ex eo, quòd Una abſque altera percipiatur, nec poteſt certò intelligi, niſi utriuſque Rei idea clara ſit et diſtincta.

CXIX. Ad veram cognitionem non ſufficit quod ſit clara, ſed requiritur, ut etiam ſit diſtincta.

Dixi Cognitionem noſtram debere claram eſſe et diſtinctam, quia non ſufficit tantùm Rem *clarè* cognoſcere, ſed etiam debet *diſtinctè* intelligi, priuſquam de ea aliquid certi enuntietur. Omnes clarè percipimus *Famis* et *Sitis* moleſtiam, Ignis *calorem*, glaciei *frigus*, Sacchari *dulcedinem*, Fellis *amaritudinem* &c. Sed nihil horum diſtinctè percipimus. Nam vulgo præter varios cogitandi modos, quibus Mens noſtra ab ijs afficitur, nihil cognoſcit, quia non diſtinctè cognoſcit. Inde manifeſtum eſt, cur Pueri, Rudes, et

et rerum ignari, nullas fermè *distinctas* habeant notiones; de rebus enim judicant, prout primùm seſe Intellectui ingerunt, atque Sensibus quà internis, quà externis seſe expromunt, quod non fit, nisi quatenus aliis sociantur, sive quatenus rebus multis complicatæ sunt. Hinc tam difficulter Mentis *Operationes* à Corporis *Motibus* discernere valent, quos passim confundunt, hos cum illis communicando. Cùm tamen ubi ad Rerum discrimina procedimus, easque singulatim contemplamur, non minùs facilè Mentis operationes, se signis suis produnt, quàm Corporei motus, immò Intellectu facilius apprehenduntur, quod nobis magis intimæ sint, et Corporalia Conceptuum claritate superent. In his siquidem Extensionem nullam, nullam Divisionem, aut partem aliquam Mediam consideramus, in illis autem, utrumque semper attendimus, et partium multiplicitate distrahimur.

CXX. Fit Cognitio clarior, quo plura habentur Rei attributa.

Clariorem igitur ac Distinctiorem rei cujusvis habemus *Ideam*, quo plura ejus Attributa percipimus. Unde passim tradunt *Theologi* Deum ex Naturæ et Sacrarum Literarum Volumine simul, perfectiùs cognosci, quàm ex Naturæ tantùm; quia ex Naturæ Libro, Dei *Esse* et *Posse*, ex Scriptura etiam *Velle* ejusdem deprehenditur. Atqui plura Dei Attributa novit qui ejus Esse, Posse, et Velle novit simul, quàm qui Esse et Posse tantùm. Ad naturam igitur rei clarè distinctéque percipiendam non aliud requiritur, quàm attenta ejus Attributorum consideratio, adeò ut, quo plura rei Attributa apprehendo eò clarius

ac

ac diſtinctiùs eam cognoſcere meritò cenſeri queam. Cùmque plura in *Mente* mea, quàm in *Corpore* meo, vel ulla in re corporea, Attributa deprehendo, fit ut ejus naturam ſeu eſſentiam clariùs diſtinctiúſque apprehendam, quàm Corporis cujuſcumque.

CXXI. Ut Cognitio ſit clara, non requiritur quod ſit adæquata.

Non tamen ut vera habeatur rei alicujus cognitio neceſſarium eſt, ut *adæquata* ſit et perfecta. Nam clariſſimè *Oceanum* intueor, immò clariùs quàm pendentem in Aere Aquæ guttulam, nec tamen ideò totum Oceanum Oculis perluſtro. Exigua manu mea *Montem* tango, nemo tamen mihi perſuadebit, me totum montem comprehendere poſſe, aut Ulnis complecti. Claram et diſtinctam habere poſſumus Dei *Ideam*, etiamſi plurimas ejus proprietates, Attributa, perfectiones mente non aſſequamur, nec unquam aſſecuturi ſumus. Quia ea eſt Infiniti indoles, ut à nobis, qui finiti ſumus, non comprehendatur, hoc eſt, ut Intellectu noſtro non finiatur, quamvis interim dilucidè à nobis intelligi non deſinat. Fruſtrà ludunt *Carteſianorum* Adverſarii, dum claram Dei perceptionem, perfectam, non dico perceptionem, ſed *Cognitionem* Dei interpretantur, quam poſtea eandem eſſe volunt cum adæquata et comprehenſiva Dei notitia, nobis affingentes, quòd talem dari poſſe aſſeramus, quaſi Vermiculi totum *Mare* ebibere vellemus. Dum enim dicimus *Deum* clarè et diſtinctè poſſe cognoſci, non niſi de hac finita, et ad Ingenii noſtri modulum accommodata Cognitione Intelligimus. Atque hoc exemplo utitur *Carteſius*: Trianguli *Idea* totum Triangulum repræ-

repræſentat, et *Puer* aliquis Geometriæ expers, clarè diſtinctéque percipit, quid ſit Triangulum, cùm Figuram tribus lineis comprehenſam intelligit, nec tamen interim plurimas proprietates novit, quas de Triangulo *Geometræ* demonſtrant. Sic habere poſſumus claram et diſtinctam *Dei* ideam, etiamſi plurimas ejus proprietates, ut dictum eſt, adipiſci non valeamus.

CXXII. Non obeſt quod aliqui ſe Deceptos eſſe poſtea reperiant.

Non huic noſtræ *Regulæ* adverſatur, nos multa pro *veris* et indubitatis recepiſſe, quæ procedente tempore falſa, aut ſaltem incerta eſſe cognovimus: quia hoc tantùm arguit, nulla nos ex ijs clarè ac diſtinctè unquam perſpexiſſe. Quinimò ante *Carteſii* tempora, effatum illud: *Id omne verum ac certum eſſe quod clarè diſtinctéque percipimus*, non pro certa Judiciorum noſtrorum Regula habuimus, utcunque verum eſſe non iremus inficias: plus enim eſt pro Veritatis Regula, quàm pro vero tantùm habere, et plus eſt, pro vero habere, quàm, non negare eſſe verum. Quod ſi igitur nonnullis evenit, quòd aliquid ſe clarè et diſtinctè cognoviſſe putantes, ſe *falſos* eſſe poſtea repererint, id clari ac diſtincti intuitus defectu contigit, immò quòd ſibi impoſuerint: nec minùs operæ eſt, hac in re ab impoſtura cavere, quam providere, ne falſo gaudio abripiamur, neve, pro vero Bono falſum amplectamur. Non enim momento inter clarum et obſcurum *Conceptum*, judicandi Habitum comparamus, ſed frequenti Meditatione, et acri ſtudio. Unde non miror quòd tam pauci, etiam inter Eos, qui liberales Diſciplinas, alioſque inſtruendi Artem profitentur,

tur, inveniantur, qui hoc in ſtudio ſe exercent, aut ad illam Evidentiam contendunt, quoniam nunquam experti ſunt, quid ſit rem clarè et diſtinctè cognoſcere, atque ſecundùm Cognitionem illam Judicium ſuum attemperare, et moderari.

CXXIII. Imperiti quando falluntur in ijs quæ putant ſe clare cognoſcere.

Qui enim claram et diſtinctam habet *Caloris* Ideam, quatenus clarus et diſtinctus ejus conceptus in mente reſidet, non ideò claram et diſtinctam habet notitiam, quòd res illa extra ejus Intellectum exiſtat: nihilominus imperiti utrumque æquali promptitudine aſſerunt. Et nihil nos magis decipit, procliveſque ad credendum efficit, nos aliquid clarè ac diſtinctè concipere, quàm celeritas illa, et voluntatis propenſio ad proferendum de Re judicium, quia hujuſmodi *promptitudo*, non ſemper cum clara et diſtincta Cognitione conjuncta eſt. Hinc uſu venit, ut in Animum facilè inducamus, ea nobis clarè ac diſtinctè cognita eſſe, quibus ultrò et abſque vi ulla aſſentimur. Qualia ſunt omnia illa quæ vel ab infantia, pro veris habuimus; vel quæ à magiſtris quorum Authoritati innitimur, tradita ſunt. Quantumvis nullis firmis Rationibus, quæ claram diſtinctamque *Notitiam* pariant, fulciantur, nihilominus non minùs ægrè hujuſmodi Errores expugnantur, quàm voluntas à pravarum Voluptatum proſecutione revocatur.

CXXIV. Hæc Regula non ſe extendit ad res agendas.

Is tamen non ſua judicandi Facultate abutitur, neque in *Prudentiæ* monita delinquit, ſi ubi de rebus agendis, aut quæ ad Vitæ uſum attinet, agitur, ad operandum ſe accingit, alterumve eligit, quamvis de eo nullam

lam aliam evidentiam habeat, quàm rem illam certam et evidentem non esse. Quia etsi quædam hujusmodi sint, ut spectata eorum natura, certa de illis Cognitio haberi non possit, et quorum usus frequens est in vita, Eorum tamen Cognitio, etsi obscura, et imperfecta sufficit, ut de ijs aliquod Judicium proferamus. Exempli causa, quamvis me lateat, utrum *Frigus* sit quippiam reale, an mera privatio, illud a me amovere licet, quia Corpori meo infestum est. Pari modo licet Cognitionem meam eò promovere non valeam, ut certum offendam *Argumentum*, quo mihi persuadeam, Sensuum judicio fidendum esse, tamen Judicandi Facultate non perperam utor, si à Sensibus externis detecta quædam, prosequar aut declinem, et pro talibus existimem, qualia Sensus mihi repræsentare videntur. Ubi autem de contemplatione *Veritatis*, Philosophicæ nimirum, in qua ipsa Veritas sibi pretium est, agitur, nemo negabit ab obscuris, et non satis distinctè perspectis assensionem esse cohibendam. Et in his potissimùm Scientiæ speculativæ versantur, temereque, nec sine Imprudentiæ peccato, de rebus talibus, certam profitemur Disciplinam, certóque aliquid enuntiamus, priusquam certam et manifestam ita judicandi causam habeamus.

CXXV. Neque ad mysterii Fidei.

Quod quidam objiciunt, multa à nobis *Fide* esse admittenda, quæ clarè et distinctè non fuerunt percepta, nullius prorsus est momenti, quia manifestum est, illam Cognitionem, spectare *naturalem*, quam Homo naturæ viribus, acquirere potest. At in *Fide*, loco istius claræ ac distinctæ perceptionis Rei credendæ,

dendæ, eſt *Revelatio* Divina, cui Fides innititur, cùm aſſenſus ſit et Judicium, quo aliquid propter teſtimonium *Divinum* affirmatur, vel negatur. In quo tamen ipſo, clara ac diſtincta eſt opus perceptione, in tantum, ut nihil Divina Fide admittamus, niſi de quo conſtiterit, illud à Deo credendum eſſe propoſitum, quodque Deum teſtatum eſſe, clarè et diſtinctè cognoverimus.

CXXVI. Clarè et diſtinctè cognoſcere eſt Unica Veritatis acquirendæ Regula.

Ex dictis manifeſtum eſt *primò*, quòd clarè et diſtinctè cognita nobis facilè poſſumus perſuadere; neque à nobis impetrare poſſumus, ut obſcurè et confusè perceptis, quamdiu à nobis talia exiſtimantur, aſſenſum præbeamus: clarè enim et diſtinctè intellectis non poſſumus non ſuffragari. *Secundò*, Cùm clara diſtinctáque perceptio, ſit aliquid, conſtétque eam non à nobis profici, ſive nos illius Authores non eſſe, illa procul dubio à Deo manat; idque eo magis ſtatuendum, quòd inter claram et diſtinctam Cognitionem, et inter Aſſenſum, quem Voluntas tali Cognitioni infallibiliter præbet, talis eſt nexus, qui Deum pro Authore habet. *Tertiò*, nobis ineſt notitia Veri et falſi Judicii, et in genere Veri et falſi, certi atque incerti: Verùm attentiùs perpendentes, quare aliquid certum et verum eſſe affirmemus, apparet Lumen Intellectus, ſive diſtinctam et claram Cognitionem, Cauſam et Rationem eſſe, quare judicium noſtrum certum verúmque appellemus: obſcuram autem Cognitionem, Cauſam eſſe, quare id incertum atque dubium nuncupemus. Et qui ſe apprimè quippiam capere, ſive intelligere profitetur, ſimul perſuaſum habet, rem

rem illam ſe clarè cognoſcere; Et è diverſo, qui in judicando hæſitat, decerneréque cunctatur, obſcuritatem ſimul, et Confuſionem in intellectu experitur. *Quartò*, concluditur ipſam claram et diſtinctam perceptionem Unicam eſſe, aut nullam omninò aſſignari poſſe Veritatis Regulam: quippe qualemcumque Demonſtrationem poſtulaveris, illa nunquam erit Scientiæ fundamentum, niſi in quantum clarè ac diſtinctè apprehenditur. Et quæcumque alia excogitari poteſt Regula, nullius eſſe uſus poterit, quia non poſſumus non, clarè et diſtinctè perceptis aſſenſum præbere, et incertis et ambiguis, quà talibus aſſenſum denegare.

CXXVII. Totius Opuſculi hujus Concluſio.

Atque id quidem adeo luculenter et apertè ex Demonſtratis in Diſſertatione hac conſequitur, ut neminem eſſe arbitror, qui ingenium ad res Metaphyſicas contemplandas nactus fuerit, quin facilè agniturus ſit, aliam admitti non poſſe, Veritatis Regulam, quàm quæ in præcedentibus à nobis, aſſignata eſt. Nam ſi Senſus noſtri fallaces comprobentur, ſi nullas Ideas, quales eas mente formamus, nobis exhibent, ſi nihil præter *Motus* quoſdam, per Senſuum organa, ad mentem noſtram accedat; immò ſi Motus illi, atque promanantes ex eis *Figuræ*, nunquam à nobis apprehendantur, quales in Cerebro exprimuntur; quis non videt, Cognitionem Humanam haud poſſe à Senſibus initium ducere, ac proinde aliam Normam, aliam Ducem eſſe ſequendam, eam nempe, quam in Superioribus ſtabilivimus, certámque, ac indubitatam oſtendimus.

APPENDIX

APPENDIX

Appendici Peripateticæ Appensa

De Mutatione Formali,

In Favorem Carteſianorum.

MUltis à Me priùs in Præfatione obſervatum eſt, ut Ille Aliorum Spretor, miſerrimè errat, dum ſe Magnum aliquid ſupra cæteros Mortales præſtitiſſe jactitans, futilibus Argumentis uſus eſt, in Paradoxis ſuis evulgandis. Sed et tum notari potuit, quàm *ludit* Ille in Ambiguo, ſibique et Aliis *imponere* conatur, dum in *Methodo Sciendi* pag. 301. et 404. locis ſuprà à Me citatis, ad Cauſam Dei, *Mutationem* cùm *Motu*, *Effectum* nimirum cum *Efficiente*, Malè confundit: tum ut Cœlum fortè quod *Virtute* non poteſt, Dolo petat; tum ut inde fortaſſis Omnibus Notum ſit, Vocabula omnia nunc in hac nunc in illa Significatione ſumenda eſſe, prout huic dicendi Magiſtro placet; tum etiam eò fortè maximè, ut non *Clara* et *Diſtincta* aliqua perceptione capiamus, ſed ut *Confuſa* potiùs admiremur *Notionem* illam ſuam de *Formali Mutatione*, multùm certè ab Eo Laudatam, et in Cujus unius gratiam, *Appendicem* ſatis prolixam inſtituit, qua ſi fi-

I. Mutatio male cum Motu confunditur.

dem ipſi habeamus, *Carteſianos* omnes Longiſſimè ſuperavit.

II. Carteſii ejuſque Sequacium defectus nullus quoad materiæ primæ conſtitutionem.

Parum quidem Illi in Aliis aliquid profeciſſe videtur, niſi et in hac Cauſa, omnem *Carteſianorum* Exercitum, cum Duce ſuo, à fronte et à tergo impugnet, turbet, concidat. Quid enim? "*Carteſius* ipſe nec veram *Logicam* in *Principiis*, nec *Naturam* in *Phyſicis* ſuis obſervavit, nec id quidem, non aſſignata Materiæ ſuæ primæ Conſtitutione intrinſeca, prætendere potuit. Opus, quod nec ejus Sequaces conabuntur unquam, nec per Ejus Principia perficere poterunt, prout fuſè in mea *Appendice* de *Formali Mutatione* demonſtratum eſt. *Præfat. Meth. pag.* 56. Et quidem in ipſa illa Ejus *Appendice*, Corpuſculariosetet Atomiſtas, quos vocat, omnes, illius intrinſecæ *Conſtitutionis* defectu, *Mutationem Formalem*, quam magni facit, explicare non poſſe, ſæpiùs affirmat. *pag.* 376. 384. 385. *Alibique*. Quid autem ſi *Philoſophus* Extenſionem ipſam in quaſlibet partes diviſibilem, Materiam ſuam primam conſtituiſſe doceat? Quid ſi aſſeruit Eam ab Illo, qui omnia poteſt, reipſa in varias partes diviſam fuiſſe, Mole, Figura, Situ, Motu, et Quiete differentes? Quid ſi unam et eandem eſſe Corporum omnium Materiam, omnéſque, quas in ijs reperiamus Differentias, in ſola hac partium Eorum *Modificatione*, ſeu Conſtitutione conſiſtere oſtendit? Id quod ab Eo factum eſt. Immò ex his principiis univerſum quem cernimus, et quem non cernimus Mundum Corporeum, cum omni ejus Apparatu, produci potuiſſe, tam luculenter evincit, ut non Mille

Ideārum, Ideiſtarúmque Oſores, non Mille Aliorum Vituperatores, ejus Gloriam minuere valeant.

III. Converſio ſeu Mutatio a Carteſianis aſſerta in genere.

Quin videamus jam, quid Magnum et Extraordinarium, nec priùs auditum habet Iſte *Ideiſtarum* omnium Contemptor. "Natura (inquit Ille ſuo, et Peripateticorum nomine) et quotidiana Experientia nos docuit, *Rem unam ex alia fieri*; quod eſſe non poteſt, niſi Ejus aliquid remaneat, et aliquid perdatur. Nam aliter, Res una non verè dici potuit ex Alia fieri: ſed *Ens* ſeu Corpus, noviter productum, ex nihilo fieret; id eſt, crearetur. *pag.* 376. Quid autem præterea? Id Exemplo oſtenditur: "Experimur quod Res illa, quam *Lignum* vocamus, mutatur in Aliam Rem, quæ *Ignis* vocatur; et proinde niſi diceremus *Lignum Annihilari*, et *Ignem* ejus loco *creari* (quod vel ipſa Notione ejus Mutationis in Rem aliam facere prohibemur) neceſſum eſt aliquid fuiſſe in *Ligno*, per quod actualiter *Talis* Res fuit ante Mutationem factam, et quod *perditur* mutatione ejus in Ignem; et etiam Aliquid *in Eo* quod manet *in Igne*, in quem mutatur. *pag.* 378. Quid autem hoc novi? Quid quod non et a Me dictum eſt his verbis: Converſio eſt *Actio*, qua Res una in Aliam tranſit, per modificationis prioris Alterationem, Alteramque à priore diverſam, eodem remanente Subjecto communi, introductam. Dictum eſt, quòd *Idem Subjectum commune remaneat*: Nam Materia, quæ eſt *Subjectum*, numericè *eadem* eſt poſt *Mutationem*, ac priùs fuit, de novo ſolum *Modificata*. Quod benè notandum eſt, quia alioquin non ulla erit vera *Converſio*,

seu *Mutatio* unius Rei in Aliam, sed unius potiùs Rei pro Alia *Permutatio.*

IV. Ut et Compositio et Divisio, Mutatioque Formalis, tum Essentialis, Substantialisque, et Accidentalis.

Quin et Ille, eodem *Ligni* exemplo, Corpus quodlibet ex *Potentia* et *Actu*, seu *Materia* et *Forma* tum *Essentiali* tum *Accidentali* constare, sed et illud etiam, quoad *Formam* suam sive Essentialem, sive Accidentalem dividi et mutari posse docet; Unde et *Compositionem Formalem*, *Formalem*que *Mutationem*, ut et *Divisionem* Formalem, tum *Essentialem*, tum *Accidentalem* dari; quin et *utramque*, cùm *Forma* Concipitur esse *in* Subjecto, *Intrinsecam* esse, multis ostendit. *pag.* 375. ad 380. Dein, Id *Ratione* etiam, à diversa sola, quam de Rè aliqua habemus, *Notione* seu Conceptu, unde et eatenus formaliter *Componi*, *Mutari*, et *Dividi* dicatur, petita, contendit. *pag.* 381. ad 383. Id quod etiam et Ipse docui his verbis: Quæ in Modos, vel Accidentia illa, quæ sine Subjecti interitu adesse vel abesse possunt, terminatur *Actio*, Conversio *Accidentalis* dicitur. Quæ autem terminatur in peculiarem illam Modificationem, quæ Rei alicui *Essentialis* est, eámque ab omnibus aliis Rebus discriminat, Conversio *Essentialis* Nuncupatur; ut et Substantialis, in quantum Substantiam, seu Subjectum ipsum, quà taliter Modificatum, afficit. Neque enim per Rei alicujus Substantiam, intelligere debemus *Nudam* illam Entitatem, quæ Formæ subjici, atque ab Eadem specificari concipitur, sed utramque simul acceptam; Id scilicet, quod ex utrisque componitur, seu potiùs Subjectum, ut dixi, ipsum, cum modificatione sua peculiari consideratum. Unde et Mutata hac sive

Composi-

Compoſitione, ſive *Modificatione*, aliáque nova Diſpoſitione, in eodem communi Subjecto facta, Mutari etiam Subſtantiam priorem, et in Illam aliam, quæ exinde orta eſt, converti manifeſtum eſt. Sic cùm peculiaris illa partium Modificatio, quæ *Lignum*, verbi cauſa, conſtituit, Mutatur, et Eſſentialis illa Diſpoſitio, quæ *Lapidem* conſtituit, introducatur, hoc certè in caſu, *Lignum* in *Lapidem*, et quidem Eſſentialiter, Subſtantialitérque mutari affirmandum eſt. Sic in *Nutritione* : cùm *Tritici* grana in Farinam Molarum compreſſione rediguntur, poſteáque cum Aqua permiſcentur, et calore Furni in *Panem* evadunt, qui mox dentibus conteritur, atque in ventriculum demiſſus, ac demum in *Sanguinem* commeans, in *Carnem* eſſentialiter, Subſtantialitérque converti intelligitur. Id quod hic magis animadvertendum, quippe quòd Ille *Mutationem* ſolùm *Formalem* crepans, *Subſtantialem* nunquam memorat. Unde ex Argumento ſuo, quo falsò in *Præf. Meth. p.* 55. contra Carteſianos uſus eſt, Negante, rectè Concludendum eſt, Illum Eam non *capere* omninò, aut non *credere*.

V. Materiæ primæ Carteſianæ Conſtitutio primordialis explicatur.

Verùm, Id unum hic Ille multùm contendit, in *Mutationis* ſuæ Formalis Fundamentum, Conſtitutionem Materiæ primæ *Intrinſecam* et primordialem quandam dari debere; Eámque non in aliqua partium Diſpoſitione, quoad Figuram Motúmque conſiſtere, ſed in ſe Eſſentialiter *Raram* eſſe ratione Quantitatis cujuſdam à Subſtantia diſtinctæ. Hæc profectò *Notio* illa eſt, cui maximè in-

fiſtit Ille in *Præfatione* ad *Methodum* Primùm, ubi "Qualem Ideam S. *Auguſtinus* habuit *Materiæ* nihili faciens, quærit, Quis Hominum communi ſenſu præditus, Rei *Ideam* formare potuit, quæ *Extenſionem* ſolam in ſe continet, nec gradu ullo *Denſa* ſit, aut *Rara*, Dividi *facilis*, aut *Difficilis*, *Fluida* nec *Solida*, *Mollis* nec *Dura* &c. *pag.* 54. Et poſt pauca, prætendit, "Nec *Carteſium* ipſum, nec *Regium*, *Rohaultum*, *Regis*, nec ullum quem novit iſtius Scholæ potuiſſe (ut putat) hac in re, lumen aliquod præbere; cum nec id conati ſint, nec Ejus mentionem faciunt, quod oſtendit Eos hæſiſſe quoad primordialem ſuæ Materiæ Conſtitutionem, ex qua tamen *tria* ſua *Elementa*, et conſequenter Naturam omnem fieri agnoſcunt. *pag.* 55. Tum etiam Id iterum inculcat, pag. 56. Immò et in *Methodo* ipſa, pag. 70. Multò autem fuſius ad ravim uſque in *Appendice*, pag. 375. 384. ad 410. et 414. ad 420. quæ ſine nauſea repeti non poſſunt. Verùm quid mali ſi *Carteſius* S. Auguſtini veſtigiis incedens, Corporis naturam in *Longitudine*, *Latitudine*, et *Altitudine* conſtituentis, materiam primam in Extenſione ſola Diviſibili poſitam, non *Raram*, nec *Denſam*, aut quid ſimile aſſerat. Cùm *Ariſtoteles* Ipſe, dum materiam ſuam primam, *Neque Quid*, *neque Quantum*, *neque Quale*, *neque aliquid aliud Eorum quibus Ens determinatur*, affirmat, laudatur. pag. 396. Quin et Ipſe etiam cum Aliis oſtendi, quomodo hæc *Materia prima*, de qua tantæ lites in Schola Peripatetica, utpote quòd inadæquatus ſit Corporis exiſtentis Conceptus, quatenus illud advertimus,

vertimus, non ut Figuratum, Durum, Molle, Coloratum, aut Modis aliis indutum, ſed ſolummodo ut extenſum, mera *Potentia* eſſendi hoc vel illud dici poſſit, non conſiderata ut ſit *Actu* aliquid. Unde et *Informis* dicatur, cùm notio Extenſionis ab omnibus Ejus Formis ſeu modificationibus abſtrahitur. Unde et conſtat, quòd *eadem* ſit Corporum omnium Materia, cùm in Extenſione conveniunt, neque ullam Diſtinctionem ratione materiæ ſubeant. Ut et *Ingenerabilis* et *Incorruptibilis*, ita ut in Rei alicujus Generatione, nulla nova Subſtantia creatur, neque in Ejuſdem Corruptione, vel minima Materiæ pars in nihilum abit, cùm in omnibus variationibus, Formæ ſeu Modi et Accidentia ſolùm mutantur. Sed et indefinitè *Diviſibilis*, ſic ut in Diviſione Materiæ Intellectus Humanus Terminum aliquem neſciat, ubi ſe ſiſtat: cùm Minima Materia ſit Extenſa; quicquid autem ut Extenſum concipitur, concipitur habere Partes, et quod concipitur ut habens Partes, non poteſt non concipi ut Diviſibile; præſertim ſi conſideremus *Deum* poſſe actu efficere, quicquid nos poſſumus clarè et diſtinctè percipere. Quibus adde, quòd ex *actuali* Materiæ *Diviſione*, Varietates omnes, quæ in Corporibus obſervantur, ſunt petendæ: Cùm Corpora omnia in Extenſione conveniant, quæ non concipitur in ſe ut actu *Denſa*, aut *Rara*, *Facilis*, aut *Difficilis* dividi, *Fluida* nec *Solida*, *Mollis* nec *Dura*, ſunt enim hæ Qualitates non abſolutæ, ſed reſpectivæ ſolum, ſed quatenus ut omnium Formarum capax,

adeò ut ſola Efficiens Cauſa ſufficientium Virium requiritur ad Ejus partes dividendas, quò variam induant Formam ſeu Conſtitutionem Intrinſecam qua, Extenſione ſeu Materia hac primigenia, in tria Elementa Carteſiana diviſa et Mutata, intrinſecè et Eſſentialiter inter ſe diſtinguantur.

VI. Quid Raritas et Denſitas, cum aliis Qualitatibus.

Quod autem de *Raritate* quadam eſſentiali in Quantitate prout à Corpore dictincta, poſita garrit Ille, quaſi primordialis foret Materiæ primæ Conſtitutio, Eóque magis, ut ſic faciliùs etiam à Deo dividatur, quod multis urget, *pag.* 397. *ad* 402. *alibique*; Sciendum eſt, Deo Nihil unquam arduum eſſe, Neque Ejuſmodi Raritate Opus eſſe Agentibus Naturalibus; tum etiam *Notionem* illam *Quantitatis* obſcuram, confuſam, ac in ſe planè repugnantem, neque omninò Intelligibilem eſſe, quod demonſtrat *Carteſius* Princip. part. 2. §. VII. &c. tum etiam *Rarum* illud ſuum ab Ariſtotelis Mente Longè abeſſe, qui *Raritatem* ac *Denſitatem*, *Aſperitatem* et *Lævitatem* in quadam partium *Poſitione*, ſeu ſitu unicè poſuit, ac *Denſi* rationem in eo poſitam dixit, quòd partes ſibi vicinas, *Rarum* autem, quod partes ab invicem diſtantes, *Læve* quòd partes æqualiter, et in rectitudine quadam, *Aſperum* quòd alias eminentiores, alias depreſſiores haberet. Cujus, ne neſciat Ille, Locus notatu digniſſimus extat, Categ. de *Qualitate et Quali* his verbis: Τὸ δὲ Μανὸν καὶ Τὸ Πυκνὸν &c. " *Rarum* autem et *Denſum*, et *Aſperum* et *Læve*, videntur quidem, Quale quiddam ſignificare: Sed apparet hæc aliena eſſe à Qualis Diviſione: *Situm* enim quendam partium

tium videtur potiùs Utrumque declarare: *Denſum* enim eſt, quia partes ſibi invicem propinquæ ſunt: *Rarum* autem, quia à ſe invicem diſtant: Et *Læve* quidem, quia partes in rectum quodam modo poſitæ ſunt: *Aſperum* verò, quia alia attollitur, alia deprimitur.

VII. Forma quid in genere.

Quin quòd à *Forma*, *Mutatio* de qua agitur, *Formalis* dicitur, de Ea oportet ut hic diſtinctiùs agamus, eóque magis, quòd *Materia* in ſe torpida et otioſa, ab Ea actuatur. Quam tamen *Subſtantiale* aliquod eſſe non volumus, neque *Accidens* aliquod realiter à Subjecto diſtinctum, ſed paucis quidem, *Affectionum et Modorum Complexionem, Rei cuique, et variis ejus Actionibus perficiendis accommodatam.*

VIII. Ut Forma hæc dicatur Subſtantialis.

Et hæc *Forma* quidem, in Rebus creatis, ſive *Spiritualibus*, ſive *Corporeis*, ſano ſenſu dici poteſt *Subſtantialis*, cùm ſit *Forma* Subſtantiæ, quam informat et perficit. Quippe Formæ dant Rebus omnibus *Subſtantiam*, et *Eſſentialem Differentiam*, ſúntque Operationum Rei cujuſcumque Origines, unde et rectè *Subſtantiales* habeantur.

IX. Formæ ſunt tum Eſſentiales, tum Accidentales.

Quin ex *Affectibus* ſeu *Modis*, Alii Rei pro hic et nunc accidunt, unde *Formam* conſtituunt *Accidentalem*. Sed et alii ſunt, qui Rei *Eſſentiam* ingrediuntur, unde *Formæ* ex his conſtantes, *Eſſentiales* dicuntur. Non enim improprium eſt dicere, aliquid et *Eſſentiale* et *Accidentale* eſſe diverſo reſpectu. Nam *Sapientia*, quæ Homini *Accidentalis* eſt, *Sapienti* certè *Eſſentialis* reputatur. Sic et hæc vel illa *Occaſionalis* Cogitatio Animæ accidere poteſt: Qualis autem unica, ſive multiplex

plex Cogitatio, eam ad certam aliquam *Eſſentiam* determinat, Ei *Eſſentialis* certè dicitur. Similiter etiam nihil obeſt, quominùs *Quantitas*, *Figura*, *Situs*, *Motus*, et *Quies* Materiæ in communi accidant, alicui tamen ejus portioni inſint eſſentialiter. *Ferro* enim accidit, quòd *Figuris* variis terminetur, quòd rotundum ſit, aut quadratum, acutum vel obtuſum : *Cultro* verò ſua ineſt Forma quæ illum conſtituit, et ab aliis Rebus diſtinguit. Quia licet *Ferrum* abſque tali Figura conſiderari poſſit, et neque hanc potiùs, quàm alteram exigat, *Cultro* tamen determinata *Magnitudo*, *Figuræ* acumen, Extremitatis *Polities* ineſt, ſine quibus *Cultri* ratio non intelligitur. Par eſt de aliis ratio. Sic licet Celeritas omnis Motus à Corpore abeſſe poſſit, non tamen à *Flamma*, quæ Corporis ſpecies eſt, cujus partes vehementi agitatione feruntur, et in minores ſemper ac minores abeunt.

X. Corporum Diverſitas a modificatione partium pendet.

Adeò ut tota Corporum Diverſitas, à partium ſuarum Modificatione pendeat, et Illa ab invicem diſtinguuntur, prout illorum *Magnitudo*, *Figura*, *Situs* &c. varia ſunt. Et Eorum *Identitas*, ſi Modi illi per omnia conſentiant, et eandem inter ſe proportionem tueantur. Unde quamvis Homo *Vivus* et *Sculptus* ſpecie tenus ſimiles videantur, non tamen ijdem dici poſſunt, quia ultra *Mentem*, quæ in Homine vivo conſideratur, reperitur partium diverſitas, non quoad numerum modò, ſed et quoad Earum Magnitudinem, Figuram, Poſitionem, Nexum, Quietem, et Motum.

Quæ-

XI. Primordialis Materiæ Conſtitutio iterum expenditur.

Quærit autem iterùm iterúmque Ille, de primordiali Conſtitutione primordialis materiæ. Demus igitnr, *Minima*, quæ vocat, *Naturalia*, pag. 375. quanquàm, cùm Materia natura ſua ſit indefinitè diviſibilis, *Minima Naturalia* ponere, certè eſt difficile. Demus *Epicuri* et *Gaſſendi* Moleculas ſeu Atomos, quas tamen non penitus inextenſas (qnod erat ille, pag. 388.) pono: quanquàm ne quis id ſuſpicetur, Eas utpote Corporeas, partes habere, adeoque in ſe diviſibiles eſſe, licet Agentia fortè naturalia eas nunquam diviſerint, oſtendi. Demus etiam *Carteſii*, quos objicit, *Globulos* ſolidiſſimos, ut et *Ramenta* illa Subtiliſſima, ex quibus cætera omnia tanquam ex Materia primi ſui Elementi, non autem *Materia* ſua prima (quæ duo ineptè confundit Ille) conſtare docuit Philoſophus. Quærit jam, quæ ſit illius materiæ *Primæ* Conſtitutio primordialis? Dicendum eſt iterùm, Materiam omnem Corpoream, Natura ſua Extenſam eſſe, adeóque *in ſe* partes habere, et in Eaſdem quas habet *Diviſibilem* eſſe: Quæ eſt primordialis *Materiæ* primæ, ex qua, accedente Motu, Corpora omnia fiunt, Conſtitutio. Quod vel Mathematicè demonſtrari poteſt.

XII. Carteſii principia nec Mathematicæ nimis innixa, nec Hypothetica, ac precaria omnino habenda.

Non hic moror, quod "*Carteſium* cum Suis hac in re, Mathematicos ſecutum, quaſi Matheſi nimis addictum culpat Ille, *pag.* 416. 420. Immò mirandum potiùs quod in *Carteſianos* hac in cauſa Culpam conjiciat, Cùm et ipſe alibi (Præf. Meth. p. 6. et 7.) Methodum Mathematicam laudans, Eam in alijs Philoſophiæ Partibus deſiderari, Ejúſque Defectum

fectum Philoſophorum quorumdam Erroribus et Diſcordijs Occaſionem dediſſe notat. Sed et Id mirandum magis, quòd "Philoſophiam *Carteſianam*, utpote quòd *Carteſium* ipſum, nonnulla, pauciſſima quidem, (quæ ſunt, ne neſciat Ille, "Omnem Materiam illam, ex qua hic Mundus aſpectabilis eſt compoſitus, fuiſſe in initio à Deo diviſam in particulas quàm proximè inter ſe æquales, et Magnitudine mediocres, ſive medias inter illas omnes, ex quibus jam Cœli atque Aſtra componuntur, Eaſque omnes tantundem Motus in ſe habuiſſe, quantum jam in Mundo reperitur; et æqualiter fuiſſe motas, tum ſingulas circa propria ſua Centra, et ſeparatim à ſe mutuò, ita ut Corpus fluidum componerent, quale Cœlum eſſe putamus; tum etiam plures ſimul, circa alia quædam puncta æque à ſe mutuo remota, et eodem modo diſpoſita, ac jam ſunt, Centra Fixarum; nec non etiam circa alia aliquanto plura, quæ æquent numerum Planetarum: Ita ſcilicet, ut illæ omnes tot varios Vortices componerent, quot jam Aſtra ſunt in Mundo. *Princip. Part.* 3. §. XLVI.) Supponere audivit; *Hypotheticam* omninò et Precariam eſſe affirmat, *pag.* 384. *et* 418. Quaſi verò, quia *Mathematica* ſua habet Poſtulata, nulla in ea Scientia ſit habenda. Quanquam et §. XLV. et XLVII. Suppoſitionis hujus ſuæ *Rationes* Philoſophus reddit, quas qui perpenderit Vir modeſtus et Intelligens, non poteſt non ad Res Naturales meliùs explicandas admittere. Quod autem *Materiam* à Deo certo modo diviſam, motámque ſpectat, Id adeò in ſe Simplex, Clarum, et Evidens eſt,

eſt, ut Cuivis Pateat. Nec quidem Philoſopho Modus explicandi defuit, quomodo per Naturæ Leges ab Eo aſſertas, cæteri Effectus omnes deduci poſſint. Materiam enim Motu diviſam, varias cujuſcunque Magnitudinis particulas, eaſque variè agitatas, conſtituere, tum etiam in varios *Vortices*, ex ſolo Earum occurſu, veluti in Aquis ſœpiùs videre eſt, contorqueri potuiſſe, non difficile eſt concipere.

XIII. Contradictionibus Imaginariis fit ſatis.

Verùm hîc omitti non debet, quomodo Sibi Ille placet, in *Contradictionibus* quibuſdam Imaginariis, quas in *Præfatione*, pag. 55. innuit, quibúſque demùm in *Appendice*, pag. 417. Mira, ut putat, ſubtilitate productis, *Carteſianum* quendam, quaſi primi Elementi, Materiam nunc *Denſam* et *Duram*, utpote *Friabilem*, nunc etiam *Mollem*, utpote *tenuem* et *flexilem*, ſéque Figuris omnibus accommodantem affirmaret, onerat. Cùm tamen, ne hîc *Verſionem Anglicam*, qua ſolùm uſus eſt ut non rectam, nec rectè ab eo citatam; neque etiam illam Ejus ſive *Incuriam*, ſive Ignorantiam, qua *Denſitatem* cum *Duritie*, ut et *Mollitiem* cum *Tenuitate* confundit, culpem: Particulæ illæ primi Elementi, quæ ſunt Materiæ primordialis *Ramenta* quædam, ſeu Anguli, qui dum reliqua hac Abraſione rotunda fit, atteruntur, tum *Magnitudine*, tum *Motu*, proindéque viribus etiam ſunt *inæquales*; ita ut Earum Aliæ Aliis magis et minus *Tenues*, *Fluidæ*, et Cedentes dicantur. Unde et ex his Aliæ ſint *Denſæ*, ſeu *Solidæ*, *Duræ*, *Friabiles*, Aliæ verò *Raræ*, *Molles*, et *Flexiles*. Immò verò clarum eſt, quod diverſo in his Qualitatibus *Tactilibus*, ad varium

um Diverſorum Tactum, reſpectu habito, Eædem particulæ et *Duræ* et *Molles*, *firmæ* ſive *Stabiles* et *Fluidæ*, *Denſæ* et *Rarâ*, *Tenues* et *Craſſæ*, *Rigidæ* denique, ſeu *Friabiles*, et *Flexibiles*, ſine ulla Contradictione reputentur. Quanquam *Particulæ* illæ, quas voco *Flexiles* primi Elementi, non *Molles*, *Fluidæ*, aut *Cedentes* dicuntur, in quantum Rigidis illis opponuntur, quæ à Materia prima *Homogenea* et *uniformi*, ut ipſe loquitur, abraduntur; ſed *Flexiles* tantùm dicuntur, propter inſignem ſuam *tenuitatem*, qua quaquaverſus cedere paratiſſimæ, cunctos inter Globulorum agmen intercurrentes Angulos, quos motus varietas, quovis momento variat, Figura illis accommodata omninò replerunt. Non *Flexiles* dicuntur, quia à Situ *recto* ad *curvum*, aut è contra à *curvo* ad *rectum* traducuntur, ſed quia tantam Agitationis vim obtinent, ut Corporibus aliis occurrendo, in minutias indefinitæ parvitatis dividantur, et *Figuras* ſuas ad omnes Angulorum ab ijs relictorum anguſtias implendas accommodent.

XIV. Naturalium et Artificialium comparatio.

Quin ex eo quòd dixi, in *Plantarum* ac *Beſtiarum Generatione*, novam aliquam *Subſtantiam* non magis produci, quàm in *Statuæ* Fabricatione, ſeu *Domus* ædificatione; quod et variis *Exemplis* manifeſtum feci; Unde, et concludi *Generationem* nihil aliud eſſe, quàm Tranſlationem, ſeu Novam partium Materiæ Poſitionem, eamque in *Naturalibus* et *Artificialibus* Compoſitionibus ſimilem eſſe; nugatur Ille egregiè, Dicens, " Qui *Domum* ædificat, ſi neſciat *Intrinſecum* Temperamentum, ſeu conſiſtentiam Materiæ, *Lapides* ſcilicet eſſe *Denſos*, ſeu *Duros*, et proinde Maximè

Fun-

Fundationi accommodatos: *Lignum* esse *Densum*, et Levius, adeóque magis Superstructuris aptum: Denique *Mortarium* esse primò *Molle*, posteà verò Durum cùm siccum sit, adeóque maximè aptum ad Lapides connectendos; vereor si modò harum rerum, et id genus similium Ignarus sit, Illum non nisi *ruinosum*, et rude seu *Imperitum* Opus facturum, licet in Artificiali et Mathematica Materiæ partium Positione maximè versetur. *pag.* 419. Addens etiam, "Neminem vivum, non Ipsosmet *Cartesianos*, posse rationem reddere consistentiæ Ipsorum Materiæ, quæ est unicum illud, ex quo conficiunt (Solœcismo, quo nos cogunt uti, da veniam) suas *Naturali-Artificiales* Structuras. *Ibid.* Quasi verò Artificem omnem *Imperitum* oportet ut judicemus, qui mathematicè licet satis instructus, non ita tamen in *Physicis* doctus, ut de Materiæ, quam tractat, Temperamento *intrinseco* Philosophari possit. Quin non ita nescius Ille, quicquid hìc contra videtur, ut *Lapidum* Constitutionem *intrinsecam* in *Densitate*, seu *Duritie*, aut *Ligni* in *Densitate* et *Levitate*, aut etiam Mortarii sui in *Mollitie* aut *Duritie* consistere existimaret. Neque verò insolens est, Res Naturales cum Artificialibus, seu rebus *Mechanicis* componere: Cùm et ipse *Bruta* cum *Machina* comparat *Sol. Phil.* pag. 9. ad 18. Immò *Corpus Animale* esse *Naturalem Machinam*, Ibid. pag. 10. et 13. Ut et *Bruta* esse *Naturalia Automata*, ibid. pag. 15. expressissimis verbis docet. Quo minùs certè Mirandum, si in *Plantarum* et *Bestiarum* Generatione non novam aliquam

aliquam *Subſtantiam*, ſed novam ſolùm partium *Poſitionem*, ut in Artificialibus, produci dixerim.

XV. Mutatio Intrinſeca aſſeritur.

At prævidens Ille, *Carteſianos* cum *Corpuſculariis* Omnibus *Mutationem* omnem Corpoream, per variam particularum ſecundùm Figuram, et Motum, *Poſitionem* explicaturos, ſæpè ſæpiùs hanc Eorum Partium Diſpoſitionem eſſe ſolùm *Applicationem Extrinſecam*, contendit, proindeque non poſſe *Mutationem aliquam* Intrinſecam conſtituere. *pag.* 375. 380. 381. 393. 407. et 420. Cùm tamen hæc partium *Diſpoſitio* Rei ipſi ineſt, ejuſque quaſi Viſcera omnia, *Formam* ſeu *Naturam* et *Eſſentiam* intimè ingreditur, non ulla *Senſuum* Externorum, ſed ſola Mentis acie attingenda: Adeo ut *Eam* ſenſu propriiſſimo Intrinſecam aſſerendam eſſe non dubitemus; præſertim cùm Ipſe priùs, ex eo quod *Forma* cujuſcumque ſit Naturæ, *in* Subjecto eſſe concipienda ſit, hinc Mutationem omnem *Formalem* etiam *Intrinſecam* eſſe ſtatuit, ſeu Mutationem Rei, quoad aliquid, quod verè concipitur *in Ea* eſſe. *pag.* 380. Neque verò quemquam ignorare putem, quàm intima cujuſque Corporis Conſtitutio lateat, prout in *Diſſertatione* §. 74. obſervatum eſt.

XVI. Non omnis Mutatio fit gradatim.

Quin ad Cauſam *Mutationis*, Cùm *Lignum* priùs calefit, quàm in *Ignem* mutatur, hoc unum veluti quotidiana Experientia manifeſtum ponit Ille, "Nullum Corpus aliam Rem fieri in Inſtanti, ſed prævièalterari ac diſponi priuſquam *Eſſentialem Mutationem* ſubeat. *pag.* 406. *et* 408. Ergo cùm

Jeri-

Jerichuntis Muri, populi voce, Tubarúmque ſonitu corruerunt; Cùm *Aaronis* virga in Colubrum verſa eſt, *Lot*ique uxor in ſtatuam Salis; Cúmque Vinum ad Canaan Galilææ ex Aqua factum eſt, non illicò et inſtantaneè, ſed *gradatim* hæc fieri oportuit. Id quod de Mutatione ad Menſam Myſticam dicere item debuit, qui Eam agnoſcat. Quaſi verò qui *inſtantaneè* Materiam creavit, non eam illicò, et ſine Alteratione prævia etiam *Movere*, et *Mutare* poſſit. Neque verò *Exemplum* deeſt, quo Mutationem Eſſentialem illicò, et abſque omni prævia Alteratione naturaliter fieri conſtet. Cùm ſi *Chalybs Magnete* tangatur, omnis illa *Mutatio*, quæ in *Chalybe* fit, Eam autem Eſſentialem priùs oſtendimus, immediatè, nictu Oculi, et citra Alterationem præviam, perficitur. Immò ea eſt in naturalibus Motus ipſius *Vis*, ut ipſa Oris Apertio in Oſcitante, alterius Maxillam inferiorem à ſuperiori protinus diducat, illúmque oſcitare faciat: *Vocis* autem Sonique maximè, ut cùm Populo Vociferante, et clangentibus Tubis Jerichuntis Muri illicò corruerunt. Ita et Pocula quædam vitrea quandoque *Afflatu* ſolo, Voce autem ſœpiùs diſrupta protinùs legimus. Similiter ac cùm duo Inſtrumenta Muſica, quorum chordæ eodem modo, ſive ad eundem Tonum tenſæ ſint, ſi Unum emittat Sonum, eodem tempore emittet et Alterum. Sed et *Campanæ* aliquando, ut et Campanilia ipſa, non forti et magno, quàm peculiari aliquo Aeris pulſu, Sonituve, et quaſi *Rythmo* quodam inſtantiſſimè crepant, rumpuntur, diſſolvuntur. Id quod plu-

ribus nunc confirmarem, si ea narrare opportunum esset, quæ de Viribus *Rythmi* dicenda habeo.

XVII. Corpus quodlibet qua totum, ex partibus constans, quoad easdem omnes mutari potest.

Verùm omnem illam, quam in *Corporibus* notamus, *Mutationem* per Partium Eorum Modificationem fieri et explicari posse persentiens Ille, multis demùm contendit, "Nullum Corpus Naturale, utpote *Unum*, ex partibus componi. *pag.* 407. *ad* 413. Cùm tamen de *Corpore* quolibet Naturali, non manco, rectissimè dicitur, quod *sit Totum* et integrum in proprio suo loco. Totum autem secundùm *Peripateticos*, *est quod plurium rerum unione constat*. Et *Res istæ quæ unitæ Totum constituunt, dicuntur partes*. Idque *propriè* et *positivè* dictum est, non *improprie* et *negativè*, quo sensu apud Illos sumitur, cùm *Deus* dicitur esse *totus ubique*, aut cùm *Anima Humana* dicitur esse *tota in toto, et tota in qualibet parte Corporis*. Nam Deum *ubique totum* esse, nihil aliud significari volunt, quàm Deum non esse ubique per partes, sed modo quodam indivisibili. Similiter Animam esse *totam in toto, et totam in qualibet parte Corporis*, nihil aliud sit, quam Animam non esse in Corpore per partes, sic ut partes Animæ respondeant partibus Corporis. Aut si positivè cum *Cartesianis* dicamus *Deum totum* per totum Mundum, *Animámque totam* per totum Corpus extendi, non de Extensione Substantiæ intelligendum est, sed de Extensione *Potentiæ*; ut sensus sit, *Deum* Virtutem suam in universum Orbem, *Animám*que etiam *Virtutem* suam in Corpus integrum exercere. Quanquàm ut *Deo* Cœlum, ita et *Animæ* Conarion, Solium quasi Regium sit, ubi Mandata

data Emittunt, Vireſque ſuas maximè Exerunt. Neque verò *Corpus* ex partibus unitis conſtans, negari debet eſſe *Unum*. Quippe *Totum* reipsa non differt à partibus ſuis ſimul ſumptis et unitis. Quanquàm quidem *Totum* haud dubiè differt à partibus ſingulis: Nam aliud eſt *Homo*, aliud *Corpus*, aut *Anima*. Differt etiam à partibus omnibus ſimul ſumptis quidem, ſed non unitis. Nam *Subſtantia Corporea* diverſa eſt à *Materia* et *Forma*, ut traditur apud Ariſtotelem, lib. 2. de An. cap. 2. et lib. 7. Metaph. cap. 3. Et *Syllaba* non eſt idem quod Literæ, ex quibus conſtat, ut patet ex lib. 6. Metaph. cap. 17. Quin etiam *Totum* dicitur *generari*, *corrumpi*, &c. quæ de partibus dici nequeunt: et *Partes* dicuntur, *conſtituere* Totum; at Totum non conſtituit Seipſum. Verùm, ſi omnes partes ſimul conſiderentur et *unitæ*, omnino idem ſunt quod Totum: nihil enim fingi poteſt in *Toto*, quod non ſit in Partibus unitis; Nihilque in Partibus Unitis, quod non ſit in Toto. Id quod ab Ipſa quidem illa *Burgerſdicii* Peripatetici *Logica*, quam ipſe Peripateticus adeò contemnit, ediſcere potuit: Ut vel inde intelligat Corpus ex variis Partibus *Unitis* conſtans, Ens Unum dici poſſe; ut et Unum Idemque Corpus vario reſpectu dicere unum, et non unum, ſeu differre, et tamen *unum* eſſe, non (quod ineptè ſentit) ſenſu carere, nec Contradictionem ullam implicare. Quod autem de partibus habet non *Actu*, ſed *Potentia* ſolùm, in Toto exiſtentibus; Uti et quod de *Minimis Naturalibus* operoſius agit, in his facilis fiat Conciliatio.

Cùm *Partes* in Toto ita *unitas* ſtatuimus, ut Integrum conſtituant. Quin et Corpus quodlibet utpote Extenſum, indefinitè *diviſibile* eſſe, ſic ut Diviſionis terminos nunquam attingamus, aſſerui. Has tamen utraſque Poſitiones, ut minimè hac in re, neceſſarias hîc mitto: Cùm Corpus quoad *Partes* ſuas, ſive *Actu*, ſive *potentia* ſolùm in Toto exiſtentes, Eáſque *Minimas* vel non *Minimas Naturales*, actu mutari poſſe ſufficiat. Id quod volunt Carteſiani, nec quicquam dubitant, *Tranſmutationem* omnem, etiam *Subſtantialem*, Ex Eorum principiis optimè explicari poſſe. Cùm nihil aliud in Ejus conceptu involvitur, quàm Nova Partium omnium, quoad Earum *Figuram*, *Motum*, et *Poſitionem*, eſſentialem illam *Corporis* cujuſque conſtitutionem, *Modificatio*.

XVIII. Homo eſt Ens, ſeu quid ex Mente et Corpore compoſitum.

Verùm, hîc obiter omni, ac nulla quidem data Occaſione, Hominem non eſſe quid ex *Mente* ſeu Anima et *Corpore* compoſitum, ne non hæ, tam diverſæ inter ſe Partes in *Unum* Ens coaleſcerent, contendit. *pag.* 410. *et* 411. Contrà quàm quod Ipſe quidem, multis Rationibus alicubi docui, ubi vulgari *Peripateticorum* Definitione, qua *Hominem Animal Rationale* eſſe ſtatuunt, tanquam minùs clara, ambigua, et non *Naturæ Humanæ* perfectionem attingente, poſthabita, hanc Ejus magis accuratam, ut puto, Definitionem ſubſtitui, quòd *Homo eſt Res compoſita ex Mente Finita, peculiari ſuo modo Cogitante, et Corpore ritè Diſpoſito.* Nam cùm *Homo* non ſit Res ſimplex, ſed conſtans ex utroque Rerum genere,

genere, *Mente* ſcilicet et *Corpore*, optimè Notabilis illa Conſtitutio, et quæ Hominem à Rebus cæteris dirimit, per hanc particulam *Compoſita* declaratur: et ſic omnes Conditiones bonæ Definitionis ſervantur, quarum *Prima* eſt, ut Rei naturam ſatis evolvat, illáſque partes perſpicuè indicet, è quibus conſtituitur. Quippe nihil in Homine reperitur, quod hac Definitione non comprehendatur. *Secunda*, ut Genus et Differentia rectè aſſignentur; nam quòd Homo *Corpore benè diſpoſito* conſtet, habet cum cæteris Viventibus commune: et per hoc quòd *Mente Finita*, id eſt, non omnimodè perfecta præditus eſt, à *Deo*, qui Mens Infinita eſt, diſcrepat. Cæteris autem et à *Deo*, et *Angelis*, quibus et peculiares inſunt *Cogitationes* abſque omni cum Corpore Unione intima, diſcriminatur: *Tertia*, ut Definitio Re definita non ſit latior, nec anguſtior, ſed adæquata; quippe per Inductionem manifeſtum eſt, quòd omnis *Homo* ſit ex Mente Finita peculiari ſuo modo Cogitante, et Corpore ritè diſpoſito compoſitus, et de quocunque dicitur Definitum, de eodem etiam Definitio dicatur.

XIX. Quid Corpus Humanum.

Quid autem illud, quod ad Cauſam *Mutationis* habet Ille de *Corporis Humani*, *Hominiſque* ipſius Individuationis Principio? "Homo ſeu Equus membrum perdit, et conſequenter priorem *Quantitatem* et *Figuram* etiam; et tamen ſunt Idem Individualis *Homo* ſeu *Equus*. *pag.* 406. Et poſtea: "Conſideremus teneram noviter plantatam *Quercum* creſcentem in Arboreto; quæ ſpatio centum

annorum se expandit in vastam Arborem, dilatantem suos largos et solidos Ramos in omnes partes, et obumbrantem spatiosum Agrum. Possitne Aliquis negare *Eandem Rem* esse, seu eandem Arborem, quæ priùs? Et tamen evidentissimè est non eadem in *Quantitate*, cùm nunc milliès sit major, quàm antea. *pag.* 421. Et post pauca: "Idem dici potest de *Infante* provecto in *Virum*, quem majorem nunc factum in Quantitate, si negarent esse *Eandem Rem*, seu *Eundem Hominem*, multam in Mundo confusionem facerent, tollendo Titulos hæreditarios, et alterando jura Successionis. Infans fortè pro tempore admodùm parvo suum Titulum retineret. Sed Identitate sua perdita, nova accrescente materia et nova Quantitate, perdendo suam Essentiam, Hæreditatem amisit, antequàm eam intelligendi seu administrandi Ætatem haberet. *pag.* 421. *et* 422. Verùm, quid hoc Majus, quàm quod et Ipse habui, primùm de *Corpore Humano*, dein de *Hominis* Ipsius *Individuatione?* Quoad Prius his verbis: Cùm alteram Hominis partem dixi, esse *Corpus ritè Dispositum*, sciendum est hanc Dispositionem in Ejusmodi Modificatione consistere, qua Materia, seu Massa Corporea apta est, ut ei Humana Anima intimè conjungatur; Unde quælibet Materiæ portio, quæ sic modificatur, seu *Organica*, sive *Inorganica* sit, Corpus Humanum rectè propriéque appellatur. Cùm tota ipsa Hominis Essentia in Unione Animæ cum Corpore suo posita sit, Corpúsque suum erit, modò Ipsi conjungatur. Neque ullatenus constat Organa ad hanc Unionem absolutè esse neces-

neceſſaria. Quippe nihil obſtat, quominus Corpus inorganicum ita diſponatur, ut Animam per modum Formæ ſuæ recipiendi capax ſit. Neque verò Homo cui varia deſunt Organa, ſi nudam ejus Eſſentiam ſpectamus, Imperfectus dicendus eſt, quoniam Homo *Brachiis Cruribuſque* truncatus, non deſinit eſſe Homo perfectus, cùm non minùs *Homo* eſt, quàm qui omnia Membra ſua obtinet, ſiquidem perfectio Hominis, quà talis, in partibus ſuis Eſſentialibus, *Anima* nimirum et *Corpore*, ſic unitis conſiſtit. Ut et, ſicut *Anima* ejus perfecta dicitur, modò Diſpoſitione prædita ſit, quæ ex Ejus parte requiritur, in ordine ad Unionem ſuam cum Corpore: ita et *Corpus* illud qualecúmque ſit, modò Diſpoſitionem illam habeat, quæ ſufficit, ut Ei Anima copuletur, Corpus Humanum nuncupandum eſt.

XX. Quæ Hominis Identitas.

Quoad *Hominis* autem Ipſius *Identitatem*, his verbis diſſerui: Cùm tota Corporis omnis Humani Eſſentia conſiſtit in peculiari quadam Ejus *Diſpoſitione*, ad *Animam Humanam* recipiendam, particulariſque Eſſentia cujuſlibet *Corporis*, *Petri* ſcilicet, in particulari illa Diſpoſitione, qua ad propriam ejus Animam recipiendam aptatur, fundatur; poſita certè in quavis Materiæ portione, eadem Diſpoſitione Eſſentiali, quam, quocumque natus eſt *Petrus*, Corpus habuit, oportet ut *Corpus* Humanum, etiam *Petri* ipſius, illúdque unum, idémque numero, quo natus eſt, Corpus fiat; quoniam eandem habet *Formam*, ſeu principium *Individuationis*. Ut et, ſi Eidem Materiæ portioni ſic diſpoſitæ *Anima* ipſa,

Petri ſcilicet, actu, uti priùs uniatur; ob eandem certè Rationem *Homo*, immò *Petrus*, Idémque Numero *Petrus*, qui priùs ſit, neceſſum eſt, habeatur.

XXI. Corporis Humani Exortus et Fabrica Naturalis expenditur.

Quoad *Corporis* Humani Exortum, Naturalémque ejus *Fabricam*, *Stenoni* quidem Celeberrimo Anatomico accedimus, qui Mulierum *Teſtes* ita paſſim nominatos, *Ovaria* eſſe detexit. Quod et *Van Horne*, *Kerckringius*, *De Graef*, aliique Scriptis ſuis Manifeſtum reddiderunt. Unde hodierna die communiter aſſeritur, *Fœtum* in eiſdem *Ovariis* Latere, omnibus ſuis partibus, ſed non ſenſibiliter inſtructum. Non enim volunt Eum ex Seminis utriuſque Sexus commixtione efformari, ſed ſubtiliſſimum ſolùm Seminis Maſculini Spiritum, rectà per uterum, et *Tubas Fallopianas*, fortè et partim cum circumeunte Sanguine, ad Mulieris *Ovarium* ferri, ibique aliquod *Ovulum* imprægnare, hoc eſt, Fermentationem in illud introducere, quo fit, ut *Ovulum* illud intumeſcens, Majus ſpatium acquirat, unde crepare facit Membranam *Ovarii* communem, per cujus fiſſuram in vicinam *Tubam* impellitur, à *Fimbriis* illis Carneis, quæ in ejus Extremitatibus reperiuntur, indéque in *Uterum* ipſum dilabitur, ubi a Materno ſanguine indies augetur, tandémque Anima accedente, utraque Subſtantia tum Corporea, tum Spiritali ritè diſpoſita et unita, *Fœtus*, ſeu *Homo* perfectus evadit, ſuóque tempore editur. Quod quidem ſi admittatur, poſito ſolùm ampliùs prima ejus Stamina Vaſculoſa, *Membranulam* illam, ut Ego teneo, *fibroſam* in ovo latentem, quaque ſolùm

jàm Fœtum primò conſtare exiſtimamus, per totam vitam, quod et Ego quidem probabile cenſeo, remanere; facilè quidem inde appareat, quomodò Idem Corpus Humanum quoad Materiam omnem primordialem per totam vitam remaneat. Immò poſito porrò Membranulam iſtam Fibroſam primordialem poſt Vitam remanere, ſic ut poſt varias, quas ſubit, Mutationes, nequidem cùm ab *Anthropophagis* devoratur, non penitùs conſumatur, Sed ut *Uvæ* Membrana, ſucco exucto ejiciatur, in æternum quoad intimam ejus Texturam eſſentialem, duratura, quod nullo certè modo eſt impoſſibile; facilè etiam inde intelligamus, quomodo Idem Corpus Humanum quoad Eandem Etiam Materiam, reviviſcat. Id quod et Ipſe eò magis promoveo, ut ſic S. Patribus faciliùs ſatisfacerem, qui Corpus ipſum, virtute Panis Euchariſtici dignè percepti, in beatam Reſurrectionem refloreſcere volunt. Quod non video quomodò fieri poteſt, ſi non eadem numero materia, quæ Corpus compoſuit, quæque Pane et Vino benedicto ſaturata eſt, remaneret.

XXII. Ut et Supernaturalis, cui non Idem ſemper Exortus, nec eadem Materiæ Quantitas, nec Idem partium numerus.

Quanquàm quidem, ut hunc *Corporis* Humani ſtatum et conditionem *Naturalem* eſſe admittam, ad Corporis tamen Humani *Eſſentiam*, Ejúſve *Identitatem*, non ita neceſſariò requiri, quin in *ſtatu* quodam *ſupernaturali*, Res aliter ſe habeat, manifeſtò conſtat. Cùm quoad Ejus *Exortum*, ex Re qualibet, *Lapidibus* etiam ipſis, Deum *Abrahamo* Filios ſuſcitare potuiſſe credendum eſt. Neque verò ad Corpus aliquod Humanum conſtituendum requi-

requiritur, aut eadem ſemper Materiæ Quantitas, aut Idem Partium numerus. Quippe *Fœtum* integrum ſub exigua admodùm Mole primò latuiſſe conſtat; Nec deſunt Viri Doctiſſimi, quibus Corpus Redivivum varijs quibus nunc conſtat Partibus, utpote ſuperfluis, deſtitutum fore placuit. "Credibile mihi videtur," inquit Medicus Eximius, quòd Corpus noſtrum reſurget tantùm cum ijs partibus, quæ ad vitam conſtituendam et conſervandam omninò neceſſariæ ſunt. Unde quinque *Senſus Organa*, *Muſculi* omnes, partes quibus muſculi affiguntur, et quæ totam Corporis Fabricam fulcri inſtar ſuſtentabant; qualia ſunt *Oſſa* et *Ligamenta*: *Cor* quoque, *Arteriæ*, *Venæ*, *Nervi*, *Cerebrum*, et *Tegumenta* conſtrui iterum debent. Reliqua autem Organa, præter recenſitas jam, ſine quibus *Vivere* non poſſumus, partes, in Redivivo Corpore (cum Redivivus Homo non manducabit, neque reſpirabit) ſuperflua erunt et inutilia. Corpus itaque redivivum, non tantùm tota poſt Ortum advena Materia, ſed etiam ab omnibus fæculentis partibus expurgatum, et ſuperfluis Organis, tanquam Exuviis ſpoliatum, ad minimam molem reducetur et Volumen: nec deſinet eſſe totum et integrum Corpus Humanum, quia omnibus partibus, in hoc ſtatu ad *Vitam* neceſſariis conſtabit. Homines igitur, qui cum naturali, ſeu ponderoſo et craſſori *Corpore* olim obierunt, cum ſpirituali quodam Microſomate, ſeu puſillo *Corpuſculo*, Paſſerum forſan, imò forſan et Muſcarum inſtar, leves maximè, agiles, et ſummè mobiles renaſcentur. *Evang. Med.* pag. 156. ad 159. Quan-

quàm

quàm verò nec Partes omnes ſuprà recenſitæ, ad Vitam conſtituendam et conſervandam ſint neceſſariæ, quod mox in Articulo ſequente oſtendam; Nec tamen neceſſum eſt, ut in Vita futura *Nani* et *Pumiliones* exiſtamus, cùm prima illa Stamina, ex quibus Corpus conſtat, ad debitam proportionem, æquè ac in hac Vita expandantur. Quin et Clariſſimus *Malbranchius* illud obſervandum notat, " Id quod Corpori Humano Eſſentiale eſt, certam aliquam Cerebri fortè partem eſſe, cui Anima immediatè unitur. Id quod admodùm veriſimile reddunt Multa: veluti, Exempli Cauſa, *Dolor*, quem nonnulli ſentiunt in *Brachiis*, et in *Cruribus* Chirurgorum opera, aut alio quovis modo exſectis. Verùm hæc Eſſentialis pars admodùm exigua eſt, neque ulla apparet Contradictio quin ſit Arenæ grano multò minor.

XXIII. Nec eadem materia numerica.

Neque verò ad *Corporis* alicujus Humani Eſſentiam, eadem ſemper *Materia Numerica* requiritur: Cùm eadem ſit omnis materiæ Eſſentia, nec ulla inter Corpora, ratione Materiæ Differentia; ita ut qualiſcumque, vel *Lapidea*, ut priùs dictum eſt, Materia in Corpus Humanum diſponatur. Sed et tota Corporis Materia, ſi fortè primigenia Stamina excipias, brevi præſentis Vitæ curriculo ſœpiùs mutatur, et nova ab Alimentis indies ingeſtis accerſitur, nec tamen Idem eſſe Corpus deſinit. Præterea, quid aliud, quæſo, eſt Corpus Humanum, quàm Materia ſic diſpoſita ſeu Modificata, ut Animam Humanam in ſe intimè recipiat? Dato igitur Materiæ cujuſcumque Portionem aliquam ſic diſpo-

diſponi ſeu Modificari, ut Animæ Humanæ conjungatur (Id quod fieri poteſt, cùm ex quolibet fieri poſſe quidlibet, Materia quippe Omnium eadem manente, conſtat; ne dicam quòd *Angeli* Corpora Aerea aſſumunt, Immò *Animæ* Humanæ in ejuſmodi Corporibus apparuiſſe creduntur) Id Corpus certè Humanum eſſe, neceſſe eſt concedamus. Et quidem ſi hæc Materiæ Portio, eandem habeat Diſpoſitionem ſeu modificationem, ad eandem Animam recipiendam, quam habuit prior aliqua materia, ea ſcilicet, qua Corpus, quo Quis natus eſt, conſtabat; ſic ut hanc, non aliam Animam ſibi intimè unitam habeat; Idem profectò Corpus quod priùs erit. Ut et, ſi Eidem actu accedat *Eadem* Anima, Idem etiam *Homo* erit. Unde et poſito Duas pluréſve dari Materiæ Portiones, eodem omninò modo diſpoſitas, Corpora puta Humana noſtris ſimilia, ſic ut eodem tempore, Eidem Animæ Humanæ conjungantur, Duæ pluréſve et diſtinctæ licet remaneant Materiæ Portiones, non duo aut plura tamen, ſed Unum ſolummodò in hoc ſtatu ſupernaturali, conſtituent Corpus Humanum, utpote quòd Duæ pluréſve illæ materiæ Portiones in hoc conveniunt, ut identificentur, quòd Eadem Modificatione donentur, qua quodcumque aliud Unum Idemque Corpus Humanum donatur, quæque ſola requiritur ad Illud Unum Idémque Corpus Humanum, quà tale, conſtituendum.

XXIV. Anima Humana quid, et quæ ejus cum Corpore Unio.

Quod Mentem autem, ſeu Animam ipſam Humanam ſpectat, ſub Senſus noſtros eam quidem nou cadere conſtat, ſed non ita tamen

tamen ignotam, qnin clarè et diſtinctè concipiamus eſſe Rem Finitam peculiari quodam modo Cogitantem, et quidem in hac Vita ſemper Corpori benè diſpoſito, mutuo quaſi fœdere junctam. *Finita* autem dicitur, quia licet Mens Humana ſemper cogitet, non tamen de omnibus cogitat, nec de quibus cogitat, ea ſtatim penetrat. Multa quinetiam *Vult*, quæ non aſſequitur. Quæ omnia Imperfectionis ſunt Argumenta, à quibus Mens Infinita, quæ Deus Opt. Max. libera planè eſt. Sed et hæc ab *Angelo*, ſeu Spirituali Intelligentia differt, quæ quidem apta eſt ad Corpus aſſumendum, ſed non ita firmiter ad id inclinans, ut ſibi intimè perſonalitérque, qualis Mens Humana, unitum habeat. Non quòd Anima, utpote inextenſa, neque Figura ulla aut Loco circumſcripta, neque Diviſibilis, neque ullis partibus inſtructa, neque Materiæ ulli ſenſibili ullatenus ſimilis, *Glutine*, ſeu Contactu aliquo Corpori adhærens, ſed cujus tota *Unio* in mutua utriuſque Actione conſiſtit, ſic ut certos in organis motus, quædam in Cerebro Impreſſiones, tum Senſus Animæ, et horum motuum Perceptiones, tandem Rerum ipſarum Ideæ cum his perceptionibus conjunctæ conſequantur. Quæ eſt Omnis Animæ Præſentia. Unde et cùm Conarion, quod ſuprà notavi, Animæ Sedes, aut Ipſa Eidem Juncta dicitur, non aliud intelligitur quàm quòd Ejus Operationes ibi magis Eluceſcant, quàm in alijs Corporis partibus. Animæ enim Humanæ, Omnéſque Subſtantiæ incorporeæ, ſive Spiritus, propriè loquendo non ſnnt in loco, ſed tantummodò

dicun-

dicuntur ibi Præſentes ubi Operantur: Conſequenter et, cùm in pluribus ſimul locis operentur, in ijſdem ſimul, non minùs rectè quàm in uno loco eſſe ſtatuantur. Neque verò quid obſtat quominùs Spiritus Omnis in varijs ſimul locis Vires ſuas Exerat, cùm Operatio Ejus omnis in Cogitatione ſola, Voluntate nimirum ſua, ponitur. Sic enim Deus Ipſe Voluntate ſua ſola, Mundum univerſum Creavit, Eadémque Eundem etiamnum conſervat et gubernat. Similiter et Spiritus omnis Creatus Voluntate ſua, quantum Deus Ei dederit, agat. Quò fit ut Animæ humanæ ſimul in Corpora varia, Eáque longè diſtantia, Eodem Modo agant. Immò hac ratione, Ipſæ in Vita futura, ut Corpora ſumma Agilitate prædita habeant, quibus ſe quocunque velint, citiſſimè transferant, ita et ſine Locomotione omni, Cogitationes ſuas ſibi invicem, modo prædicto, ne quid hîc de Speculo Divino dicam, impertire valeant. In hoc autem ſtatu, limitata magis eſt Animæ Activitatis Sphæra, Iſque Ejus cum Corpore Nexus eſt, ut ad certas illius Cogitationes, certi in Corpore naſcantur Motus; et vice verſa, ad certos Corporis Motus certæ, in Anima Cogitationes oriantur. Quin et hæc *Compoſiti* Vita eſt, mutuus ſcilicet iſte utriuſque influxus, cujus beneficio Senſus perficitur, et Motus Voluntarius. Quanquàm non omnis hæc ejus Vita, Senſu ſemper aut Motu, in ſtatu Ejus omni ſupernaturali donatur; cùm in ſtatu Corporis Humani naturali, videmus quod Crapula ſopiti, aliique, maximè vero *Apoplexia* forti correpti, etiamſi Ipſorum caro

forci-

forcipibus vellicata fuerit, et tantùm non dilaniata; etſi candente Ferro fuerit Cutis combuſta, Pili divulſi, Scapulæ Cucurbitulis inciſæ, et etiamſi Mille Modis fuerint cruciati, Vivunt interim, ſed nihil tamen *ſentiunt*, nec quicquam movent. Sed et id notandum, nullam fore Animæ cum Corpore intimam Unionem, niſi ex ſolo Dei beneplacito, qui has Leges inſtituit, ut ad certam aliquam Animæ *Cogitationem*, certus aliquis in Corpore ſuo benè diſpoſito Motus ſequatur; et vice verſa, ad certum aliquem hujus benè diſpoſiti Corporis *Motum*, certa etiam in Ejus Anima *Cogitatio* oriatur. Unde poſito Duas pluresve dari materiæ Portiones, eodem præcisè modo diſpoſitas, adeóque æquè capaces ad Animam aliquam Humanam in ſe recipiendam, Anima illa Eiſdem eodem tempore, Deo ſic volente, non extra ſe poſita, aut à ſeipſa remota, ſed ſibi ipſi, ut et diverſis illis Locis, ſeu Materiæ portionibus præſens, æquè uniri poteſt. Quo fit, ut Anima illa in duobus pluribúſve locis non minùs propriè, quàm aliquo uno in loco, eodem tempore eſſe poſſit: Neque tamen ſequitur, *Animam* ſic diverſis Materiæ Portionibus conjunctam, duas pluresve, eáſque aliquando contrarias omninò et contradictorias Cogitationes eodem tempore habere debere; cùm hoc in ſtatu Corporis naturali, licet Varia in Senſuum Organa omnia, ſimul agant Objecta, Ea ſolum Anima percipit, quæ Organa maximè ferium, quæque Ipſa non aliò evocata attendit. Sic Multa quotidiè Oculis cæteriſque Senſuum Organis obverſantur, quæ nulla

nullatenus percipiuntur. Nequè tamen Objectorum Multitudo ita Mentem distrahit, quin simplici Intuitu plura simul percipere possit. Id quod Cogitabundus quispiam sæpiùs in se Experiatur. Quod etiam Quilibet modò eodem aliquando tempore Videns, Audiens, Olfaciens, Gustans, et Tangens, abundè sentiat. Quod et Cuilibet qui *Mentis* ipsius Naturam, *Unionis*que Ejus cum Corpore Rationem, in solum Dei beneplacitum refundendam perpenderit, Manifestum fiat. Quanquam in Statu quodam Corporis Supernaturali, Is Ejus cum Mente Nexus esse possit, ut non sensationes ullas propriè sic dictas habeat; Sed ut in Statu Corporis naturali, non Sanguinis, Chyli, Lymphæ, aut Fluidi alicujus Animalis Motum, non quid in Cerebro, Corde, Ventriculo, et Intestinis ordinariò agitur Sentimus; ita nec in Supernaturali Motus ulli Sentiantur, sed Corpus Impassibile, nullisque Affectionibus Corporeis obnoxium reddatur. Uti et è contra, Anima Cuivis Materiæ Portioni ritè dispositæ Unita, ab eadem, Deo sic volente, Cruciatu, aut Gaudio, iisque sive temporalibus, sive æternis afficiatur.

XXV. Anima sola non est Individuationis principium.

Quin errat Ille, dum "*Cartesianos* Animam ipsam *Individuationis* numericæ principium constituere existimat. *pag.* 422. Cùm et peculiarem quandam tum Animæ, tum Corporis Dispositionem admittimus, unà cum mutua illa *Actione*, in qua utriusque *Unionem* consistere ponimus. Quanquàm non volumus Animam magis vel minùs *Rationalem* in se fieri, ut hîc vult Ille, quo melius huic vel

Illi

Illi Corpori, ut putat, uniatur, *Animarúmque* et *Hominum* Diſtinctiones Eſſentiales et Numericæ conſtituantur. *Ibid. et pag.* 423. Cùm tamen poſita inter *Animas* Humanas, *Hominéſque* ipſos, quoad *Rationalitatem*, ſeu Ratiocinandi Potentiam innatam æqualitate, mutuæ et peculiares quædam Diſpoſitiones, ex utraque parte, *Animæ* ſcilicet et *Corporis*, in ordine ad *Unionem* ſuam admittantur, nulla interim inter varios Ratiocinandi, quos edunt Actus Differentia, niſi quæ ex parte ſolùm Corporis magis aut minùs diſpoſiti petenda eſt, admiſſa.

XXVI. Corruptela Originaria, aliaque non vulgaria Phænomena Ex dictis Principiis Explicantur.

Quin pergit Ille, atque contendit, quòd "niſi Anima certo quodam *Rationalitatis* gradu, pro ratione *Corporis*, cui infunditur, donaretur, ſic ut *Animæ* omnes, *Hominéſque*, prout magis aut minùs Rationales ſint, eſſentialiter et numericè inter ſe diſtinguantur, impoſſibile prorſus eſſet Explicare, quomodò Peccatum originale connaturaliter ab *Adamo* tranſmittatur, ſeu quomodò *Anima*, ſua cum Corpore unione ex *immundo Semine* Job. 14. 4. facto, inficiatur. *pag.* 423. Cùm tamen *Ovulum*, ex quo Fœtum Humanum Ortum ſuum habuiſſe diximus, cùm Seminis officium præſtet, *Semen* Humanum rectè dicatur; Idque *immundum* etiam, quippe in Primæ Parentis Ovario, originali veneno ab Eſu Mali prohibiti orto tinctum; ſic ut Animæ quoque, innocentiſſima licet quantùm à Deo provenit, nexu ſuo cum eodem naturaliter inquinetur. Id quod ex his principiis, cum aliis notatu dignis docuit *Swammerdamus*, Medicus, in Libro, cui Titulus *Miraculum Natu-*

ræ, ſive *Uteri Muliebris Fabrica.* pag. 52. his verbis : " His ergo, quæ de *Ovo* diximus, ſuppoſitis, ut jam anteà anno 1669. cùm de Inſectis agerem, monui, nullus mihi in rerum Natura *Generationi*, ſed ſoli *Propagationi*, vel incremento partium locus eſſe videtur, ubi caſus omnis excludatur: quæ ſi vera ſunt, ut Ego quidem nullus dubito, explicatu facillimum eſt. 1. Cur qui *Brachiis Pedibúſve* caret, propagare Fœtum omnibus partibus abſolutum poſſit: Omnes enim partes *Ovo* Continentur. 2. Vetus illa et famoſſima *Quæſtio*, an ad perfectionem Fœtus requiratur *Seminis* ab omnibus Corporis Partibus affluxus, ob eandem Rationem facilè ſolvitur. Et 3. hinc perſpicuè patet, qua ratione *Levi*, longè ante nativitatem ſuam, *Decimas* ſolviſſe dicatur, cùm Proavo ſuo *Abrahamo* Occurreret *Milchiſedecus* : nimirum in lumbis Parentum ſuorum erat, et omnes Animalis partes *Ovo* inſunt. Et 4. ipſius etiam *Originariæ Corruptelæ* fundamentum, Eruditiſſimi Viri Judicio, cui conatus et experimenta noſtra ſubinde patent, jam inventum eſſet, cùm quicquid eſt Hominum in lumbis *Adami* et *Evæ* occluſum fuerit: quibus ceu neceſſarium Conſequens adjungi poſſet, Exhauſtis his *Ovis*, Humani Generis Finem adeſſe. Hactenus vir Eruditus. Sed et his addi poteſt, hinc quoque Conſtare, tum quomodo Idem quoad Materiam numericam Corpus in Vita futura reſurgat, prout priùs oſtenſum eſt §. 21. tum etiam quomodo ex ſola *Fœmina*, ſine Mare, Corpus Humanum enaſci poterit. Quippe cùm Fœtus omnibus ſuis partibus inſtructus,

in

in Ovario, ante Omne Maris Conſortium Exiſtat, Nec Semen Maſculinum Materiam aut Formam Ipſi contribuat, ſed primigenia Ejus ſtamina, Aura prolifica, veluti fermento quodam Expandat et rarefaciat, ſeu ad inſtar Silicis et Chalybis fomitem tantummodo, ut habet *Harvæus*, accendat; quidni Spiritus Divinus ſine ulla Maris Ope id officii præſtet? Id quod Rationi magis Conſonum videbitur, ſi Conſideremus quod *Virgilius* affirmat in *Georgicis*, Lib. 3. de quibuſdam Equabus quæ à Vento ſolo Conceperunt:

Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptántque leves auras; et ſæpe ſine ullis
Conjugijs, vento gravidæ (Mirabile dictu!)
Saxa per et Scopulos fugiunt———

Quod et *Silius Italicus* de Equabus *Hiſpanicis* eleganter exprimit:

Et Venerem occultam genitali concipit aurâ.

Neque verò id *Poetarum* figmentum habendum eſt, nec Levitati alicui aut Credulitati tribuendum; cùm S. *Auguſtinus* et *Solinus* Hiſtoricus idem tradunt de Equorum progenie in *Cappadocia.* Quibus adiiciendi *Columella* et *Varro*, Viri Rerum Ruſticarum expertiſſimi, qui eandem rem tanquam certam probeque Cognitam Veritatem aſſeruntur.

XXVII. Ut Corpus Labe omni Originali mul. Exi matur.

Verùm ut Fœtum humanum, quoad Corpus, Animámque Ejus à Corporis temperie

multùm pendentem, ab Exortu ſuo immundum Eſſe poſſe manifeſtum eſt; ita et non minùs clarum et Evidens fit, non Eam eſſe Generis humani Conditionem, quin Quis Labe hac omni Originaria, Vi Divina Eximatur. Quippe non ita Parentis primæ Ovaria, Sanguinemve Ejus, aut Spiritus animales vitiari Supponamus, quin fructu Arboris vitæ, ſeu ſpeciali aliqua Spiritus Sancti Virtute, veluti Antidoto quodam Salutari, in Ovulo uno aut altero, præcaveri omninò potuit Pomi lethiferi Malignitas. Neque verò ulla in Comeſtione vetita turpitudo fuit Naturalis: Neque Fructus ipſe abſolutè in ſe Malus fuit, aut ita omnimodò Venenoſus, ut Animantia omnia ſive uſlo diſcrimine enecaverit, Eorúmve temperamenta omnia corruperit, ſed Parentum primorum Conſtitutioni diſconveniens, fortè et in Ipſis impetuoſæ cujuſdam libidinis Author, quod Nuditatis pudor mox obortus oſtendit; non uſque adeò tamen virulentus, ut Ejus Contagio ſingula quæ in ſuis nidulis latebant Ovula attigerit ac penetraverit. Immò tam bona fuiſſe nonnullorum *Stamina* credamus, ut Veneni omnis vires repellerent, quemadmodum Illis contigiſſe legimus, quibus peſtilentia ſæviſſima non nocere potuit.

XXVIII. Plantarum Exortus et Individuatio ex principiis Cartheſianis Mutationem Formalem arguunt.

Quin, "Ut revertamur, inquit Ille, unde digreſſi ſumus: Hominem, Ejuſque *Individualitatem* mittentes, quid dicant ad priorem Inſtantiam de tenera Quercu (ſeu alio quocumque Vegetabili, ſeu Animali) quando ad plenam augeatur Magnitudinem, quam etiamnum *Eandem Rem* eſſe, et tamen non *Eandem* in-

Quan-

Quantitate concedunt omnes. *pag.* 424. Et poſtea: "Conterraneus noſter ingenioſus D. *Lockius*, ſolidè magis Rem agit, dum *Plantam Eandem* eſſe facit, quamdiu de *Eadem vita* participat, *ſimili continua organizatione, eidem plantarum ſpeciei* conformi. Nam, Vita aliquid loquitur Intrinſecum et Eſſentiale (quod mera particularum poſitio, hoc vel illo modo non facit) niſi Horarium Automatum *vivere* dicemus; Ideóque Materiæ Mutationem Formalem aliquam arguit dum diſponitur, aptatur, et quaſi *digeritur*, ita ut vitam illam Vegetabile nutriendo continuat. Nam, incredibile videbitur Cuicunque Conſideratori, particulas omne genus reperiri, in tam magna copia, in qualibet Agri parte, ubi tot variæ Plantæ et Arbores creſcunt, quales Cuilibet propriæ ſunt, et Earum nutritioni ſufficientes, donec in tam prodigioſam Magnitudinem creverint. Quod tamen aſſerendum eſt, ſi *Formalis Mutatio* negetur. *pag.* 427. Vide autem, quid Ipſe hac in Re docui his verbis: Quidam exiſtimant omnes *Plantas* ex fortuito partium terreſtrium quarumdam occurſu, originem ducere, dum nimirum Inſenſibiles Terreſtris materiæ partes, in ſuperiori Terræ Cruſta, à ſubtili materia agitatæ, talem Figuram adipiſcuntur, eumque Situm et motum obtinent, qui ad Primam Stirpis Formationem requiruntur: quo veluti jacto fundamento, cæteræ partes producuntur, dum *Succus* nutritius, per primum illud Rudimentum aſcendens, partes dilatat, Eiſque certam Figuram tribuit. Habet quidem, inquiunt, *Plantarum Generatio* aliquid *Animalium* generationi analogum: quando nimirum

Plantæ ex præjacto Semine naſcuntur, quia Semen tunc temporis eſt veluti *Ovum* quoddam ſuo Germine, ſua Teſta, ſuis Membranis, ſuo Vitello inſtructum: quamvis id diſcriminis inter illa intercedat, quòd ad *Plantæ* Generationem Sexuum differentia non requiratur, quandoquidem *Planta* in ipſo Fructu à ſe producto ſeminat, id eſt, Semen effundit, nec alieno utero indiget. Quanquàm autem huic Opinioni et Rationes et Experientiæ favere videantur, Nihilominùs contendunt Moderni *Philoſophi*, Plantas omnes in Semine ſuo formaliter contineri, neque Eas per partes, *Lapidum* et *Metallorum* inſtar, ſed quemadmodum Animantia, ſimul et ſemel formari. Sibi perſuadere nequeunt, quòd ex fortuito diverſarum particularum occurſu, tam ingens partium Similarium et Organicarum quæ *Plantam* quamlibet conſtituunt, numerus effingi queat. Nec minùs concipere valent, quod Seminis unius in Terram conjecti *Pori* ſeu Meatus ita diſpoſiti ſint, ut *Succus* illos penetrans, eam veluti ſpontè Diſpoſitionem nanciſcatur, in qua Cujuſlibet plantæ *Forma* conſiſtit. Unde concludunt omnes Plantas fuiſſe ſimul formatas, atque unas in aliis ita contineri, ut ultimæ nihil niſi explicationes Rei illius ſint, quæ in prioribus continebatur. Enimverò in *Faba*, exempli cauſa, Radicem, Caulem, et Folia cernimus. Quod evidens Argumentum eſt, Eam *Fabam* aliam in ſe complecti, atque Illam aliam alteram continere, et ſic in indefinitum. Quare Plantarum *Incrementum* à nobis conſiderandum eſt, quaſi Generationum Repetitio, quæ quotannis

tamnis peragitur, per recentium Foliorum et Fructuum productionem, qui innumerabiles in cujuſvis Arboris Ramis comprehenduntur.

XXIX. Non Exiſtentia, nec loci Identitas eſt Individuationis principium.

Quantum ad Id, quod mox habet Ille, de *Individuationis* principio, cum Eo partim convenimus, partimque etiam ab Eo diſſentimus. Nam non *Exiſtentiam* meram, neque quidem *Loci* et *Temporis* Identitatem, Individuationis Principium ſtatuimus. Id quod Ille etiam, cùm his, *Exiſtentiæ* ſcilicet, et *Loco*, atque *Tempori*, Individuatio præſupponitur, contra *Lockium* tenet. *pag.* 427. Et *Sol. Phil. pag.* 259.&c. Neque vero *Locum* et *Tempus* Volumus Extrinſecas eſſe Notas et ſigna, quibus Individuorum Diſtinctionem cognoſcamus. Quod tamen Ille affirmat. *Ibid. pag.* 261. Falsò certè ex principiis ſuis Peripateticis: quippe Poſito Extenſionem, Quantitatemve, in qua Accidentia omnia fundantur, Locum Tempúſque ſpectantia, non ingredi Corporis Eſſentiam; ſeparari certè ab eo Vi Divina poſſunt: Unde et Corpus illud, Corporeis ſuis illis omnibus Proprietatibus nudatum, nullo unquam *Loco* aut *Tempore* concludatur, ſed id ad modum Spirituum, pluribus ſimul locis, uti Anima tota in toto, et tota in qualibet Corporis parte dicitur, exiſtere poſſe fateamur. Immo *Malbranchius* Corpus aliquod pluribus ſimul locis exiſtere poſſe, poſita ad Id ſola Dei Voluntate, demonſtrat. Id quod et Deo poſſibile eſſe Velle, non minùs luculenter oſtendit, tum (1.) ex communi Theologorum Conſenſu, qui Entium Reproductionem admittunt; tum (2) quòd Aliorum eſt, qui Divinæ Potentiæ limites aſſignant,

nant, Contradictionem esse ostendere, Deum posse eodem Tempore Velle Idem Romæ et Parisiis esse; tum (3) quod si Deus non potuit facere, aut Velle, id quod fecit seu Voluit, Potentia ejus limitaretur, aut amitteretur ea utendo, quod non est verisimile; tum denique (4) Quod Deus potest id omne Velle, quod clarè et distinctè concipitur, clarè autem et distinctè concipiamus eandem Extensionem duobus pluribúlve simul locis esse. His etiam satis fiat Quæstioni, an Deus possit aliquem annihilare, eumdémque iterum reproducere. Quin et his addam, quod ex Principiis Cartesianis supra à me positis, fieri potest, ut non Eadem licet Extensio, seu Materiæ Massa, tamen Idem Corpus Humanum, in quantum Humanum, aliquo modo sit in variis Locis simul. Quid enim aliud est Corpus Humanum, quàm certa quædam Materiæ portio, sic modificata, ut Animæ alicui Humanæ uniatur? Quæ alia est peculiaris alicujus Corporis Humani, *Petri* scilicet, Identitas, quàm peculiaris illa materiæ portionis Modificatio, qua illa *Petri*, non alterius alicujus, Animæ uniatur? Dato igitur certam aliquam Materiæ Portionem sic *Romæ* Modificari, ut *Petri* Animæ uniatur, *Petri* illa Corpus erit. Dato etiam, eodem tempore, certam aliquam aliam Materiæ Portionem sic *Venetiis* modificari, ut *Petri* etiam Animæ Conjungatur, illa etiam *Petri* Corpus erit, tum *Romæ*, tum *Venetiis*, eodem tempore existens. Quin et hæ Duæ Materiæ Portiones, sic eisdem in locis, eodem tempore Modificatæ, licet non Una et eadem sint Materiæ Portio,

Portio, ſed Duæ; non Duo tamen Corpora Humana, ſed Unum Idemque Corpus Humanum conſtituunt. Cùm hæ Duæ Materiæ Portiones, in quantum Corpus Humanum, *Petri* ſcilicet, non diſtinguuntur, ſed Modificatione ſua per omnia ſimili, identificantur. Id quod dicendum eſt, de Materiæ Portionibus quibuſcumque innumeris, eodem tempore Variis in locis, ſic Modificatione ſua Identificatis. Nec minùs Idem conſtituunt Corpus, quam quæ diverſæ ſunt Materiæ Partes in Manibus Pedibúſque exiſtentes, aut quæ cum Fœtu Natæ, ſeu poſtea acquiruntur. Id quod certè etiam eſt poſſibile. Nam quid impedit, quo minùs una eademque Anima Humana, varias Materiæ portiones a ſe invicem diſtantes, ſed eodem prorſus modo modificatas, æquè ac Caput, Manus, Pedeſque eodem tempore informet, ſeu Eiſdem uniatur? Qui dicunt Animam non poſſe eſſe eodem tempore in duobus Locis, in hoc Veri ſunt, in quantum Anima, utpote inextenſa, non propriè ullo ſit in Loco. Verùm eodem modo, ac in uno, in pluribus ſimul Locis eſſe poterit. Quippe ad Animæ cum Corpore Unionem, non aliqua partium *Juxtapoſitio* requiritur, ſed mutua ſolum utriuſque *Actio*, ſic ut ex Dei beneplacito, in Corpore Naturali, pro ratione ſtatus ejuſdem naturalis, ad certos quoſdam Corporis Motus, certæ quædam in Anima Cogitationes excitentur, et ad certas quaſdam Animæ Cogitationes, certi etiam in Corpore Motus fiant. In *Supernaturali* autem Corpore, pro ratione ejuſdem ſtatus ſupernaturalis, tales ſolummodò

lummodò mutuæ Actiones fiant, quales in Supernaturali illo Corpore ad finem, in quem ordinatur, ſufficiant. Quò fit, ut Variæ licet ſint materiæ Maſſæ, Unum tamen Idemque Corpus Humanum, variis eodem tempore in Locis admittamus. Nil Moror quòd Vir Ingenioſus quidem et Doctus, priùs laudatus, ex *Medicinæ Principijs*, una cum *Chymiæ* et *Anatomes* Ope, prætendat ſibi Conſtare, "Corpus Humanum, Operante Numinis potentia, novo quodam, ſed unico tantùm Modo, et in peculiari quodam ſenſu, ita verè multiplicari poſſe, ut integrum et vivum poſſet eſſe in pluribus diſſitiſſimis locis in eodem temporis Momento; non tamen cum ſolitâ Magnitudine, nec cum Anima ipſius; non ſic ut Unus Homo poſſit eſſe totus ſimul in duobus locis in Eodem inſtanti. Cùm Ille Inventum iſtud neſcio quid præclarum inter *Arcana* ſua, Sibi Suiſque ſolùm reſervavit: Ipſe autem, Cui in Rebus Philoſophicis, *Noſtrum*, ut habent, Omne, Generis Humani Bono invidens planè eſſe, Agyrtarúmque fraudes redolere, Minimè certè *Evangelium*, quod vocat, *Medici* decere videtur, Ex Varijs Principijs, Varios Oſtendi Modos, quibus et *Animam* et *Corpus*, immò Unum Eundemque *Hominem* totum et Integrum cujuſcumque Magnitudinis, pluribus ſimul Locis Eſſe poſſe demoſtratum eſt.

XXX. Ut mutatio etiam fit in Spiritualibus naturis.

Tum autem: "Denique, inquit Ille, ne plura dicam de Formali in Corporibus Mutatione, videamus paululùm quid ſit in *Spiritualibus* Naturis. Quando Anima, quæ priùs erat *Ignara* fit *Sciens*, ſeu *Vitioſa* Anima

ma *Bona*, negari poteſt has Animas mutari ſecundùm Formam illam, *Quantitatem*, dictam, et tamen eandem Remanere ſecundùm Earum Eſſentiam? Certè dicere non poſſunt hæc fieri per *Novas* aliquas *Atomos* Ipſi Animæ annexas, nec per alia ulla Requiſita quæ ad novam Accidentalem Formam introducendam ponunt: Et ſi non, videre Eos oportet et confiteri *Formalem Mutationem* ultra omnem Diſputationem in Spiritualibus Naturis reperiri. Multò igitur magis locum habeat in *Corporibus*, quæ ſubjecta *Motui* qui eſſentialiter eſt *Mutatio*, ſunt, conſequenter, Naturæ multò magis mutabilis, quàm ſunt Entia Spiritualia. *pag.* 428. 429. Quærendum autem hic in primis, an hæc Loquitur Ille, de Anima ipſa *Humana* in *Corpore* exiſtente, an de Eadem à Corpore ſeparata? Si Prius: Cum *Carteſianis* Animam in ſe Rem eſſe aliquam à Corpore, etiam dum in eo ſit, diſtinctam neceſſum eſt, fateatur. Quod autem negat, Idque aſſerentes Chriſtum ipſum ſolvere, uti ſupra notatum eſt, affirmat. Sin Poſterius: non modo Animam in ſe Rem eſſe à Corpore diſtinctam admittit, ſed et Eandem poſt primum, quo ſeparatim extitit, Inſtans, *Mutari* poſſe docet. Quod tamen de *Angelo*, conſequenter et *Anima* loquens, nec ab ullo *Corpore*, nec à *Se*, nec ab *Angelo* uno aut pluribus, nec à *Deo* fieri poſſe, quod et ſupra notatum eſt, aſſeruit. Utroque certè modo, Sui-ipſius Jugulum petit. Sperandum autem eſt, ut in meliorem Mentem redeat. Neque verò ullam Illi, hac in Re litem intendam: cùm et Ipſe prius *Animam*,

mam, utpote Rem Cogitantem, quoad varias, quas ſubit, Cogitationes, ſimiliter ac Corpus, utpote Rem extenſam, varias ſubeundo Figuras, Poſitionéſque, mutari etiam docui. Sed et cum Illo addam, *Corpus* Mutationi eſſe maximè obnoxium; quanquàm quidem nullatenus concedam Motum Mutationis Eſſentiam ingredi, ſed Ejuſdem ſolùm Cauſam eſſe.

XXXI. Stante Hypotheſi Carteſiana, Mutatio Formalis habilitur.

Concludit autem: "Ex dictis ſtabilitur hæc grandis Concluſio, *Formalem Mutationem neceſſariò concedi debere.* Quod ſi fiat, Corpuſculariæ omnes et Atomicæ Hypotheſes in Terram cadunt, et non alia egent Confutatione. *pag.* 429. Verum enimuero, contendunt etiam *Carteſiani* dari Mutationem Formalem, Eámque optimè, ex Eorum Principiis explicari poſſe ſentiunt, oſtendúntque. Unde ſtante *Carteſiana* Hypotheſi, ſtat etiam ac ſtabilitur *Formalis Mutatio.* Neque vero Caſum, aut Confutationem ullam metuat hæc Philoſophia, cum ſtabili fixa fundamento, in omnia ſæcula, duratura ſit. Quid enim? Id mille et plus ſexcentis abhinc annis prædixit *Seneca*. Nunquam Siquidem in tantum convaleſcet Nequitia; Nunquam ſic contra Virtutes conjurabitur, ut non *Philoſophiæ Carteſianæ* Nomen, Sacrum Semper et Venerabile maneat.

XXXII. Mutatio ſubſtantialis, et Re et Nomine Confirmatur.

Tantum de *Mutatione Formali*, tum *Eſſentiali*, tum *Accidentali*: dicam autem, uti Re, ita et Nomine *Subſtantiali*: Quod quidem, hac in Re, nomen adeò horret Ille, ut vix ulla Id mentione, per integram *Appendicem* ſuam de Formali Mutatione, in favorem *Peripateticorum*,

ripateticorum, dignatus ſit. Cùm tamen apud Peripateticos paſſim *Formæ Subſtantiales* occurrunt, nec deſunt quidem, quibus Mutationem iſtam Subſtantialem oſtendi, Exempla, tum *Supernaturalia*; Cùm Aaronis virga in Serpentes, et Loti uxor in Salis ſtatuam converterentur, Vinúmque ad Canaan Galilææ ex Aqua factum eſt: Tum etiam *Naturalia*; cum Lignum ex Syria allatum in Lapidem converſum eſt: ut et, quod Ego quidem ſentio maximè, cùm *Chalybs*, magnetis tactu, in magneticam naturam ſeu Subſtantiam mutatur. Neque enim tum Chalybs Virtute ſeu Qualitate ſolùm Magnetica induitur, ſed et Ejus Particulæ omnes, Vi particularum quarumdam ſtriatarum, ſive Abraſione, ſive Flexione, ſive alio aliquo modo ſic intimè figurantur, atque diſponuntur; ſic modificatione, ſeu *Conſtitutione* Eſſentiali magnetica donantur; ut Eam in Verum *Magnetem* eſſentialiter ſubſtantialitérque, dictu citiùs, mutari aſſeramus. Id certè quod, quicquid Oculi, cæterive Senſus in eo deficiunt, *Mens* ipſa clarè et diſtinctè percipiat.

XXXIII. Appendicis hujus, Totiuſque operis Ratio.

Non Hæc quidem Omnia dicta ſunt, Ea, quam primùm volui, ſed qua potui Brevitate, dum *Errantem* per flexuoſos ſuos Mæandros, et Loca Devia, proſecutus ſum. Quanquàm ſi Cuipiam in his prolixior ſim, quàm eſſe debui, Culpam, ſpero, deprecabitur Animus benefaciendi cupidus. Quin et, ne Cui Tædio ſim, nauſeámve, dum Cramben ſœpiùs coctam repetere cogor, creem; Varias omni data Occaſione, Obſervationes non vulgares inſerui; ut quos non multùm fortè moveat

Argu-

Argumenti Simplicis Pondus, delectet quidem, quæ placere ſolet, *Varietas*. Immò, Quacumque demùm facie Res iſtæ appareant, ne quis tamen Sterilem et incultam hanc exiſtimet Humum, addam etiam, quod et de toto hoc *Opere* dictum velim, hic multa jacta eſſe *Semina*, quæ nullus dubito, quin tandem aliquando, ſuo certè tempore, in Bonam adoleverint *Frugem*.

Errata ſic Corrigenda.

Præf. Pag. 1. lin. 24. *Aſſignánſque* p. 2. l. 18. Méque, l. 26. Virtute, l. ult. Eorum p. 4. l. 14. Præjudicia p. 5. l. 21. de Terræ l. 23. qui à p. 18. l. 21. Spectatum p. 26. §. 37. p. 27. §. 38. p. 31. l. 11. *Animas non eſſe* lb. §. 39. p. 32. §. 40.

Diſſert. p. 14. l. 10. S. *Auguſtinus* p. 22. in Margine, prorſus p. 92. in Marg. obeſt,

Append. p. 104. l. 13. 397. ad 402. p. 120. l. 11. Communiter p. 122. l. 33. Paſſerum

INDEX.

INDEX

IN

Appendicem de Mutatione Formali.

Art. 1. *Mutatio Malè cum Motu confunditur.* Pag. 97

2. *Carteſij, Ejúſque Sequacium Defectus nullus, quoad Materiæ Primæ Conſtitutionem.* p. 98

3. *Converſio ſeu Mutatio, à Carteſianis Aſſerta in Genere.* p. 99

4. *Ut et Compoſitio, Diviſio, Mutatióque Formalis, tum Eſſentialis, Subſtantialiſque, et Accidentalis.* p. 100

5. *Materiæ Primæ Carteſianæ, Conſtitutio Primordialis Explicatur.* p. 101

6. *Quid Raritas et Denſitas, cum aliis Qualitatibus.* p. 104

7. *Forma quid in Genere.* p. 105

8. *Ut Forma hæc dicatur Subſtantialis.* ibid.

9. *Formæ ſunt tum Eſſentiales, tum Accidentales.* ibid.

10. *Corporum Diverſitas, à Modificatione Partium pendet.* p. 106

11. *Primordialis Materiæ Conſtitutio, iterùm Expenditur.* p. 107

12. *Carteſij Principia, nec Mathematicæ nimis innixa, nec Hypothetica, ac Precaria omninò habenda.* ibid.

13. *Contradictionibus Imaginarijs ſit Satis.* p. 109

14. *Naturalium et Artificialium Comparatio.* p. 110

15. *Mutatio Intrinſeca Aſſeritur.* p. 112

16. *Non Omnis Mutatio ſit Gradatim.* ibid.

17. *Corpus quodlibet quà Totum, ex Partibus Conſtans,*

ſtans, quoad Eaſdem omnes Mutari poteſt. p. 114
18. *Homo eſt Ens, ſeu Quid ex Mente et Corpore Compoſitum.* p. 116
19. *Quid Corpus Humanum.* p. 117
20. *Quæ Hominis Identitas.* p. 119
21. *Corporis Humani Exortus, et Fabrica Naturalis Expenditur.* p. 120
22. *Ut et Supernaturalis, Cui non Idem ſemper Exortus, nec Eadem Materiæ Quantitas, nec Idem Partium Numerus.* p. 121
23. *Nec Eadem Materia Numerica.* p. 123
24. *Anima Humana Quid, et Quæ Ejus cum Corpore Unio.* p. 124
25. *Anima Sola non eſt Individuationis Principium.* p. 128
26. *Corruptela Originaria, Aliáque non Vulgaria Phænomena, Ex dictis Principijs Explicantur.* p. 129
27. *Ut Corpus Labe omni Originali Eximatur.* p. 131
28. *Plantarum Exortus et Individuatio, ex Principijs Carteſianis, Mutationem Formalem arguunt.* p. 132
29. *Non Exiſtentia, nec Loci Identitas, eſt Individuationis Principium.* p. 135
30. *Ut Mutatio etiam ſit in Spiritualibus Naturis.* p. 138
31. *Stante Hypotheſi Carteſiana, Formalis Mutatio ſtabilitur.* p. 140
32. *Mutatio Subſtantialis, et Re et Nomine Confirmatur.* ibid
33. *Appendicis hujus, Totiúſque Operis Ratio.* p. 141

FINIS.

Antonii Le Grand

CENSURA JUSTISSIMA

Reſponſi,

Ut Habetur,

TERRIBILIS;

Cui *TITULUS* eſt

IDEÆ CARTESIANÆ

AD

LYDIUM Veritatis *LAPIDEM*

(*Terminorum* ſcilicet *Connexionem*)

EXPENSÆ.

Unicuique licet, cum moderamine inculpatæ Tutelæ, paribus Armis ſe defendere, quibus impugnatus fuerit. Cod. Leg. Antiq. in Conſt. Sic. Lib. 1. Tit. 8.

LONDINI, Anno, MDCXCVIII.